SACRA NATALITIA

GUILIELMI,

WÜRTTEMBERGIAE REGIS AUGUSTISSIMI, CLEMENTISSIMI

V. CALENDAS OCTOBRES MDCCCLX

CELEBRANDA INDICIT

EDUARDUS ELWERT,

PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE DOCTOR, SEMINARII REGII EVANGELICO-THEOLOGICI IN VALLE SPECIOSA EPHORUS.

INSUNT:

I. QUAESTIONES ET OBSERVATIONES AD PHILOLOGIAM SACRAM NOVI TESTAMENTI PERTINENTES. SCRIPSIT EPHORUS **ELWERT.**

II. GESCHICHTLICHE NOTIZEN ÜBER KLOSTER UND SEMINAR SCHÖNTHAL.

III. NACHRICHTEN ÜBER DEN VIERJÄHRIGEN KURS $18^{56}/_{60}$.

TUBINGAE,

EX OFFICINA LUD. FRID. FUES.

1860.

K. SEMINAR-EPHORAT SCHOENTHAL

VII/16

EVANG. LANDESKIRCHE IN WÜRTTEMBERG OBERKIRCHENRAT

d24/ Schön -1856/60-

QUAESTIONES ET OBSERVATIONES AD PHILOLOGIAM SACRAM NOVI TESTAMENTI PERTINENTES.

Quum muneris mihi demandati potissima pars in eo versetur, ut libros sacros novi testamenti enarrem, oblata hac opportunitate, quam laetissimam dies Regis Augustissimi natalitius suppeditat pie celebrandus, materiam dissertationis ex illo studiorum genere eligendam existimavi. De quo b. Winerum optime praeter alios meritum esse nemo est qui nesciat. Etsi enim multa sint, quae ad sanam codicis sacri interpretationem faciunt, ipsum tamen fundamentum, quo tota nititur, in rationibus grammaticis positum est. Quae quantopere neglectae ante Winerum et obliteratae fuerint, sexcenti theologorum commentarii documento sunt; quam scite ac prudenter per hunc restitutae, inter omnes constat. Quod quidem non ita dictum volo, ut interpretes literarum sacrarum peritiores antehac exstitisse negem; nam, ut taceam, quid operae Ernestii praestiterint, vel inter doctissimos, quos nostra genuit aetas, vix unum et alterum esse puto, qui Jo. Alb. Bengelio, inclytissimo illi superioris seculi theologo comparari possit: verum, si qui forte in tractando novo testamento viae, quam philologia struit, firmiter tunc insistebant, assidua scilicet auctorum veterum lectione, non scholis grammaticis instructi ad rem gerendam accesserant. Quid multa? Wineri ea laus est, quod institutione exactissima, quae cum statu literarum praesenti congrueret, hanc viam munivit. Idem quum nunquam non omni studio adniteretur, ut librum suum indies emendatiorem perfectioremque redderet, haud ingratum ei facturum arbitrabar, si quis offerret, quae de idiotismis novi testamenti ipse observata habuisset. Quare aliquamdiu in legendis literis sacris Wineri institutione ita usus sum, ut quolibet loco quid vel addendum vel corrigendum s. accuratius finiendum videretur, obiter animadverterem. Dum hoc animo agitabam, eheu vita excessit theologus celeberrimus. Neque accidit solum, ut hac morte inopinata id quod maxime volueram, mihi praeriperetur; alia insuper causa suadebat, ut de proposito desisterem. Inspecto enim libro grammatico, quem Al. Buttmannus nuper edidit, praestantissimo quum quae ipse tractaturus eram, multo melius et uberius ab alio tractata lubentissime viderem, jam sane periculum erat, ne collectanea mea proferens acta agerem aut eximens quae supervacua essent, operae pretium non facerem. Quoniam vero in his studiis vel minutiora ad rem summam nonnihil conferre possunt neque ita unquam sive in exploranda sive in dijudicanda dictione novi testamenti exhausta sunt omnia, ut nihil addi possit, veniam me impetraturum spero, si ex qualibuscunque meis observationibus singularia quaedam et ea maxime, quae ad locos novi testamenti difficiliores quodammodo illustrandos forsitan aliquod momentum habitura sint, inter-

mixtis quibusdam vel dubiis vel quaestionibus proposuerim. Venia autem tanto instantius petenda, quanto magis per angustias supellectilis literariae me impeditum esse sentio.

§. I. In parte grammaticae institutionis, quam etymologicam dicunt, si quid a Winero praetermissum aut minus recte definitum erat, diligentissimae Buttmanni curae prosperrime subvenerunt, hujusque opera id quod maxime desiderabatur accessit ut formae insolitae, quas hucusque neglectas critici recentiores ex antiquissimis codicibus in textum receperunt, explicarentur (veluti: δοῖ, γνοῖ, ἔδετο, ἐδίδετο, πεῖν, παήσομαι al.). In hac parte igitur quid adjiciam, vix habeo. Attamen, ne sicco pede transeam, de una saltim re dubitationem adferre libet, quam si paradoxorum in numero ponere velis, non admodum repugno. Formam ἀγαλλιᾶσθε in priore S. Petri epistola c. 1, v. 6 et 8 bis obviam praesentis esse temporis aegre mihi persuadeo. Nam quantis difficultatibus illa interpretatio laboret, quae apostolum de gaudio christianis in hac vita parato loquentem facit, uberius exponere nihil attinet. Tota quidem continuatio sententiarum et singula quaeque momenta rem futuram apertissime indicant [1]). Ii autem, qui praeeunte Theophylacto (τὸ ἀγαλλιᾶσθε ἀντὶ τοῦ μέλλοντος εἴληπται) tempus praesens pro futuro usurpatum volunt, parum profecisse videntur. Quamvis enim crebro fiat, ut forma praesentis temporis adhibeatur ad id designandum, quod vel proxime vel certissime immineat, nescio tamen an hoc fieri non possit, ubi momenta temporum distinguenda sunt. In loco Petrino autem quum v. 6 et 8 futura christianorum conditio et ea quae nunc sit (sive ea ex qua tunc erepti fuerint) inter se contendantur, non aliud puto consentaneum esse nisi rem futuram suo ac proprio tempore denotari. Maxime id conspicuum in v. 8, ubi verbis: ὃν οὐκ ἰδόντες ἀγαπᾶτε ad statum praesentem relatis id quod proxime sequitur: (εἰς ὃν ἄρτι μὴ ὁρῶντες πιστεύοντες δὲ) ἀγαλλιᾶσθε ad statum futurum referre, si tempore praesenti expressum sit, non poteris. Verbo dicam: nisi cum Origene legas ἀγαλλιάσεσθε, quod praeter auctoritatem codicum feceris, hoc mihi unum superesse videtur, ut illam formam, quae in codicibus exstat, pro futuro attico sumas. Haec species futuri etiam in verbis mutis et puris quum apud graecos scriptores satis frequens tum Hellenistis adeo non insolita erat, ut liberrime, ne dicam, audacter ea uterentur (cfr. exempla a Winero §. 13. l. c. excitata: Lev. 19, 13: ἁρπᾷ pro: ἁρπάσῃ, ib. 25, 40: ἐργᾶται pro: ἐργάσεται). Ipsum vero Petrum apostolum ab hoc usu non abhorruisse, formae: φανεῖται et: κομιεῖσθε in eadem ejus epistola priore c. 4, 18. c. 5, 4 obviae docent. Quidni igitur, quod rem omnem expediat, statuamus, τὸ: ἀγαλλιᾶσθε ibidem 1, 6 et 8 futurum esse contractum? Aliis quidem in locis novi testamenti num formae temporis praesentis exstent, quae huc referendae sive pro Futuro attico habendae sint, cum grammaticis et interpretibus ipse dubito (v. Winer. §. 13 l. c. Buttm. ad

---

1) De singulis, quae dixi, momentis hoc unum notaverim, prodigiosae interpretationis esse, si quis verba: ἀγαλλιᾶσθε ὀλίγον ἄρτι εἰ δέον λυπηθέντες ad laetitiam qua christiani *inter ipsas aerumnas* fruantur, relata velit. Nihilne igitur discriminis, utrum: λυπηθέντες apostolus dicat an: λυπούμενοι? Scio equidem et minime nego, in hominem vere christianum cadere illam laetitiam, quae nulla doloris acerbitate exstingui possit, sed non is sum, qui cum Augustino censeam, interpreti in eo acquiescendum esse, ut veram aliquam sententiam e libro sacro eruat, „etiamsi hoc non senserit ille, quem legit, quum et ille verum, nec tamen hoc senserit“ (cfr. Aug. Conf. 12, 18).

§. 95. not. 13), sed non ea est causa dubitationis, quod utrumque tempus communi forma non debeat indicari; nam saepe id fieri confessum est et manifestum. Major difficultas in eo, quod regula grammatica Futurum illud circumflexum non admittit, nisi vocalis ante inclinamentum verbi correpta sit. Quamquam ne hoc quidem solum impedit, quominus formas γεννᾶται Matth. 2, 4., ἐρημοῦται ib. 12, 25., ποιῶ ib. 26, 18., ἀπαιτοῦσιν Luc. 12, 20., τελειοῦμαι ib. 13, 32. et id genus alias in numero Futurorum ponamus: primum ante omnia hoc obstat, quod singulis istis locis ipsum tempus praesens optime convenit. Nostro autem loco quum non bene conveniat, alterum illud explorandum de lege, quam diximus grammatica. Vocalis α igitur in terminatione Futuri ἀγαλλιάσομαι si longa sit, causa cecidisse videbimur; nam sic praeter regulam fiet, ut in Futurum atticum transeat. Concedo equidem verum hoc esse, sed ita ut levissime a regula aberratum existimem. Reputes quaeso verbi quod in quaestionem venit quaenam ratio et natura sit. Nempe illud est verbum quod Graecis inauditum Hellenistae demum ex materia, si Buttmannum audias (v. Gramm. N. T. p. 45), peregre adscita et barbara effinxerunt. Itaque, ubi neque consuetudo graeca pronuntiationem temperabat neque analogia quaedam certa ante oculos observabatur, quid mirum, si vel auctores verbi vel qui usum ejus non respuebant, de vocali producenda aut corripienda parum anxii et solliciti fuerint? Erat insuper, quo induci possent, ut a norma prosodiae deflecterent: similitudinem dico, quae inter verba in — αω et in — αζω (a radice αδ derivata) intercedit. Denique, ne longus sim, si ulla in re aberratio ab legibus grammaticorum excusationem habet, Futurum hoc atticum ἀγαλλιῶμαι minime reprobandum esse arbritror.

§. II. Sed satis de his. Ad syntacticas devenio quaestiones et observationes ac primo quidem loco paucula quaedam de usu articuli notaturus sum. Quem ubi adhibet novum testamentum, graecis cum scriptoribus concinit, in omittendo autem ita non raro discrepat, ut modum, intra quem boni auctores steterant, excedat. Praecipua hujus omissionis exempla Al. Buttmannus patris clarissimi grammaticam graecam secutus quatuor capitibus comprehendit. Sunt autem haec capita: carere posse articulo notiones universales (quas dicunt abstractas), dein ea nomina, quae naturam nominis proprii quodammodo attingant, porro illa, quae ex ipso tenore sermonis et contextu satis determinari soleant, ut ἀνήρ, γυνή, υἱός, γονεῖς, πόλις al., denique formulas quasdam adverbiales seu adverbiorum loco habendas easdemque maximam partem ex praepositionibus aptas. In quo genere postremo usum novi testamenti liberiorem a consuetudine graeca eo dissidere, quod articulum reticeat etiamsi illae formulae ad rem singularem relatae et finitae sint.

Scite haec et reliqua, ut solet, Buttmannus exposuit: esse tamen arbitror, quae addi possint vel debeant. Illud quidem exigui momenti est et vix dignum memoratu, nomen, quod numerum ordinis additum habeat, ut apud Graecos, ita in novo testamento supersedere posse articulo. Sed alia sunt exempla hujus praetermissi et plurima quidem ita comparata, ut linguae hebraicae proprietatem redolere videantur. Dico id, quod in omnibus novi testamenti libris haud rarum est, nomen, cui genitivus adjunctus sit, ἄναρθρον poni (cfr. Win. §. 18. 2. b.). Cavendum quidem, ne ex indole linguae vernaculae hanc rem metiamur et usum articuli necessarium judicemus, ubicunque eo uti nostri moris est. Buttmannus quoque vereor ut satis

ab hoc sibi caverit, quum Paulinum illud: ἐξ ἔργων νόμου, quod articulum non habeat, defendi posse censeat et defendendum igitur existimet (Gramm. p. 79. §. 124. 8. d.). Sive enim ἔργα νόμου sive ἐξ ἔργων νόμου apostolus dicat, nunquam hoc vel illud ita dicit, ut articulo opus sit. Multa sunt alia hujusmodi, in quibus qui nostro ex usu judicat, fallitur. Quamquam ne nos quidem prorsus abhorremus ab illa ratione, qua fit, ut nomina connexa, quorum alterum casu genitivo positum est, sicubi non solam aliquam rem certam exprimunt, sed ipsum simul genus, quo illa continetur, repraesentant, figura plerumque inversionis et compositione vocabulorum adhibita sine articulo definito pronuncientur. Cujus rei exemplum ne longe repetam, ipsum illud: ἐξ ἔργων νόμου nostram in linguam eo quo diximus modo translatum sonat: aus Gesetzeswerken. Similiter θανάτου ἄξιος: todeswürdig [2]). Alia ejusdem generis sunt: λόγος θεοῦ, ῥῆμα θεοῦ, χάρις θεοῦ: Gotteswort, Gottesgnade, et, quod magno ex numero unum adhuc libet addere, 1 Cor. 14, 32.: πνεύματα προφητῶν — Prophetengeister. Hoc quidem exemplum rei quam nunc tractamus illustrandae egregie praeter cetera inservire videtur. Si enim, id quod nostrae linguae nescio an optime conveniat, verba: πνεύματα προφητῶν προφήταις ὑποτάσσεται, cum Luthero vertas: die Geister der Propheten sind den Propheten unterthan, erit scilicet, quod quaeras, articulus quanam de causa ter in eadem sententia omitti potuerit. Potuit autem, quia singulae notiones ex mente scriptoris ita cogitandae et animo informandae sunt, ut illud, quod voluit, non tamquam unum aliquid certum et circumscriptum, sed genere, ad quod pertineant, comprehensum indicent. Liberum sane fuit apostolo, scribere: τὰ πνεύματα τῶν προφητῶν τοῖς προφήταις ὑποτάσσεται, sed nihil obstitit, quo minus omisso articulo sententiam quasi ampliorem exprimeret: quicunque propheta est, dotes quas a spiritu sancto suppeditatas habuerit propheticas, sua voluntate moderatur. Utrum hoc scriberet an illud, in ipsius arbitrio positum erat.

Atvero, etiamsi haec et similia excipias, satis multa supersunt, quae hoc modo expediri nequeant. Singula quaeque enumerare quum longum sit, nonnulla duntaxat eaque simplicia exempla notasse sufficiat. Huc refero, quod dies, quo Christus aliquando rediturus sit, dies igitur certa notione definitus, ἡμέρα κυρίου adpellatur 1 Thess. 5, 2. 2 Petr. 3, 10.; deinde, quod Paulus 1 Thess. 5, 8. θώρακα πίστεως, 1 Thess. 2, 13.: λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν (aliter censendum atque illud: λόγος s. ῥῆμα θεοῦ), Jacobus autem 1, 26.: χαλιναγωγῶν γλῶσσαν αὐτοῦ — ἀπατῶν καρδίαν αὐτοῦ scripsit; porro id, quod Luc. 4, 38. a codicibus antiquis fere omnibus exhibetur: πενθερὰ δὲ τοῦ Σίμωνος; denique quae Matthaeus habet c. 12, 24.: ἐν Βεελζεβοὺλ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων, ubi si quis correctorem agens nomini ἄρχοντι articulum velit obtrudere, viderit ne temeritatis arguatur. Equidem non dubito haec eum ad usum

2) Vocabulum θάνατος omnino ex iis eximendum puto, quorum *natura* hoc ferat, ut sine articulo ponantur. Quod enim v. c. θάνατον ἰδεῖν dicitur, ubi nos: den Tod sehen, id non ex indole nominis propria sequitur, sed ex notione parum finita, quam hoc modo collocatum exprimit. Nam ejusdem illud significationis est ac verbum: ἀποθνήσκειν. In universum dixerim, nimiam fuisse Wineri liberalitatem in enumerandis nominibus, quae sua vi ac natura articulo carere possint (Win. §. 18. 1). Variis quidem de causis ex hoc numero: μεσημβρία, ἀγορά, ἀγρός, πρόσωπον, ὀφθαλμός, δεῖπνον, θύρα, μέσον al. mihi tollenda videntur.

pertinere, qui ex versione Alexandrina, et, si rem altius repetas, e consuetudine hebraica novum in testamentum transmigravit. Illa quidem in versione, quae quolibet genere hebraismorum scatet, facile est intellectu qui factum sit, ut in nominibus quamvis maxime definitam notionem exprimentibus, si genitivum sibi subjunctum haberent, articuli usum neglexerit. Scriptores autem novi testamenti quum hanc versionem animis infixam haberent et plurima veteris testamenti effata ex eadem referrent, ipsi ad consuetudinem ejus et morem quodammodo sese conformaverunt et ex illa quod recipiebatur, ut: πνεῦμα κυρίου Luc. 4, 18. νοῦν κυρίου Rom. 11, 34. 1 Cor. 2, 16. ὀφθαλμοὶ κυρίου 1 Petr. 3, 12. al., id sibi ac suae dictioni proprium fecerunt.

Quodammodo, dixi, se conformaverunt; nam in scriptis apostolorum multo rariorem hunc usum esse quam apud Alexandrinos, nullus infitior. Pleraque exempla ex eo genere sunt, quod ipsis quoque Graecis non insolitum est ut articulus omittatur subsequente genitivo, si nomen regens e praepositione aliqua pendeat formulamque adverbialem exprimat. Quamquam hoc ultra modum extendi in novo testamento et ibi quoque usurpatum, ubi aliqua certa notio definienda erat, in abusum verti, verissime Buttmannus pronunciavit (§. 124. 8. d.). Cujus licentiae causa in eo ipso esse posita videtur, quod articulo, praesertim in nomine genitivum praecedente, omnino parcius uti hellenistae adsueverint.

Velim tamen observes, alia ex parte novum testamentum in iis, quae huc pertinent, tantae esse constantiae, quantam apud ipsos Graecos vix deprehenderis. Nam ubi nomen aliquod sive in illis formulis et constructionibus sive alio modo cum genitivo conjunctum est, haec quasi lex obtinet, ut nomen utrumque aut additum habeat aut omittat articulum [3]). Non omnibus locis hoc fieri nec nullam esse exceptionem dico, sed universa si spectes, rara videbuntur, quae ab hac lege recedant, eaque maximam partem talia, quae non sine idonea ratione recedant. Ego quidem tria potissimum in causa esse existimo. Cessat illa lex in nominibus propriis, quibus articulus praefigatur necne non ita multum refert, eodemque loco habenda, quae ad nominis proprii naturam propius accedunt, ut κύριος et similia; cessat porro, ubi id, quod genitivum regit, nomen verbale est et actionem indicat, cujus exempla habes 2 Cor. 4, 6.: πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως, Rom. 3, 25.: εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης; cessat denique, ubi nomen regens in formula positum est, quae quasi vim adverbii seu praepositionis induit, et maxime quidem iis in formulis, quae loco designando inserviunt. Hujusmodi sunt dictiones: ἐν δεξιᾷ et ἐκ δεξιῶν, in novo testamento nusquam non sine articulo ita usurpatae, ut nomina subjuncta articulum habeant. Quod qui observaverit (ut obiter id moneam) vel ex hoc usu loquendi intelliget, verba ὑψοῦν et ὑψωθῆναι τῇ δεξιᾷ τοῦ θεοῦ in locis Act. 2, 33. 5, 31. ita dicta esse, ut τῇ δεξιᾷ pro Dativo instrumenti habendum sit.

Sed ad rem ut redeam, lex illa de articulo in utroque nomine aut ponendo aut reticendo, etiamsi causa exceptionis idonea exstet, plurimis tamen in locis servatur. Ubi autem tanta suppetit exemplorum copia, ut difficillimum sit judicatu, quid seligamus, ad libros ipsos

3) v. Gersdorf, Beiträge zur Sprachcharacteristik etc. I. p. 295 ss. Cfr. Bernhardy, wissenschaftliche Syntax p. 323.

provocandum videtur et in eo acquiescendum, ut vocabula quaedam conjuncta eaque ad utrumque genus pertinentia pro tenui specimine adponantur. Conferre igitur poteris: 2 Cor. 6, 66.: ἐν λόγῳ ἀληθείας, ἐν δυνάμει θεοῦ· διὰ τῶν ὅπλων τῆς δικαιοσύνης; Matth. 10, 15. 11, 22. 24.: ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, Rom. 2, 5.: ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς, Phil. 1, 10: εἰς ἡμέραν Χριστοῦ, Eph. 4, 30.: εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως, Jud. v. 6.: εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας, contra 1 Cor. 1, 8. 5, 5. 2 Cor. 1, 14.: ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ κυρίου. 2 Thess. 2, 2.: ἡ ἡμέρα τοῦ κυρίου, Luc. 4, 16.: ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων; 1 Petr. 1, 7.: ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ, ib. 4, 13.: ἐν τῇ ἀποκαλύψει τῆς δόξης αὐτοῦ, 1 Cor. 1, 7.: τὴν ἀποκάλυψιν τοῦ κυρίου; Rom. 15, 32. 1 Cor. 1, 1. 2 Cor. 1, 1. Eph. 1, 1.: διὰ θελήματος θεοῦ, Rom. 1, 10.: ἐν τῷ θελήματι τοῦ θεοῦ; 1 Petr. 1, 2.: αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, 1 Cor. 10, 16.: τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ; Gal. 1, 6.: ἐν χάριτι Χριστοῦ, 1 Petr. 4, 10.: χάριτος θεοῦ, Gal. 2, 21.: Col. 1, 6.: τὴν χάριν τοῦ θεοῦ, 2 Cor. 8, 9.: τὴν χάριν τοῦ κυρίου. Eadem diversitas in nomine πνεῦμα (cfr. Matth. 12, 28. Rom. 8, 9. 14. 1 Cor. 7, 40. 2 Cer. 3, 18. cum locis Matth. 3, 16. 1 Cor. 2, 11. 12. 14. Eph. 4, 30. 1 Petr. 4, 14.), eadem etiam in vocabulo: εὐαγγέλιον (cfr. Rom. 1, 1. cum locis Rom. 1, 9. Gal. 1, 7. 1 Cor. 9, 12.).

Jam vero, quod paulo ante dixi, legem illam aequabilitatis nonnunquam negligi, id rarius quidem ita fit, ut solum nomen regens, quod vocant, articulum habeat, et si quando fit, genitivum nominis proprii vel huic similis plerumque deprehendes (ut Act. 5, 9. 2 Cor. 3, 17.: το πνεῦμα κυρίου, Rom. 2, 13.: οἱ ἀκροαταὶ νόμου); frequentius alterum, in solo nomine recto articulum poni. Cautione tamen in his explorandis opus est, quia sunt, quae pro vera exceptione haberi non possint.

Sic quidem, quod Eph. 3, 11. dicitur: κατὰ πρόθεσιν τῶν αἰώνων ἣν ἐποίησεν ἐν χριστῷ, in alio numero esse et articuli praeter nostram consuetudinem saepe omissi novam causam indicare videtur. Nam graecorum quoque scriptorum est, si nomen aliquod enunciationem relativam, qua explicetur et definiatur, sibi subjunctam habeat, articulum huic nomini praefigendum reticere [4]). Poterat igitur loco Eph. 3, 11. κατὰ πρόθεσιν sine articulo poni, quia relativum illud subsequitur: ἣν ἐποίησεν; poterat eadem ratione Hebr. 1, 1. dici: ἐν υἱῷ ὃν ἔθηκεν. Nec solum ipsa constructio relativa, sed ea quoque, quae hujus vicem obtineat, efficere potest, ut articulus omittatur. Quo in numero sunt participia cum articulo posita. Quamquam singulis quibusque locis pro re nata distinguendum venit, utrum nomen ἄναρθρον, cui participium adjungitur, notionem definitam necne exprimat. Nam, ut exemplo satis trito utar, Rom. 2, 14.: ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα non modo definito dictum est (cfr. Fritzsch. ad h. l.), similiter 1 Petr. 1, 7.: χρυσίου τοῦ ἀπολλυμένου et alia; contra quae Buttmannus §. 125. 3. excitat: Act. 1, 12.: ἀπὸ ὄρους τοῦ καλουμένου ἐλαιῶνος, 7, 35.: χειρὶ ἀγγέλου τοῦ ὀφθέντος αὐτῷ, Act. 10, 1.: ἐκ σπείρης τῆς καλουμένης Ἰταλικῆς, ib. v. 41: μάρτυσιν τοῖς προκεχειροτονημένοις, Hebr. 9, 3.: σκηνὴ ἡ λεγομένη, ita se habent, ut notionem certam et definitam effi-

4) Cfr. Krüger ad Xenoph. Anab. 1, 5. 16. Boehme ad Thucyd. 1, 85. Hoc non ea tantum conditione ut relativum praecedat, sed in alio quoque verborum ordine fieri, ex ipso Thucydidis usu adparet. v. 2, 7: πατέρων ὧν ἐστε; 4, 116: βαρβάρους οὓς δέδιτε.

ciant. Quod loco 1 Tim. 2, 5. exstat: ἄνθρωπος Χριστὸς Ἰησοῦς ὁ δοὺς ἑαυτόν, ad rem praesentem utique trahi debere non temere dixerim, sed aliam rationem, qua nomen ἄνθρωπος sine articulo positum facilius expediri possit, vix reperio. In loco autem 1 Jo. 5, 20 quum verba: δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινόν hoc sensu dicta esse putem: eam nobis mentem dedit, ut verum Deum cognosceremur, Lückio adsentior, qui articulum nomini διάνοιαν praefigendum subjecta epexegesi: ἵνα γινώσκωμεν oppressum existimavit.

Ceterum quod de participiis illo modo constructis diximus, e loci cujuscunque natura dijudicandum esse, utrum nomina, quibus subjuncta sunt, definitam notionem exprimant necne, id de toto genere dicendum, quod in eo versatur, ut nominibus articulum non habentibus attributa sua cum articulo posita subjungantur. Eadem in his apud scriptores novi testamenti atque apud Graecos diversitas est. Aliis enim locis nomina hoc modo collocata, ea praesertim, quarum natura est, ut articulo carere possint (cfr. Phil. Buttm. gramm. §. 125. 3), definitae notionis sunt, aliis indefinitae (cfr. Bäuml. gramm. §. 341. A. 2. G. Curtii gramm. §. 385. a.).

Ad reliqua quod attinet, quum singulas quaestiones de articulo Al. Buttmannus tanta diligentia absolverit, ut nihil fere superesse videatur, duo tantummodo locos ex evangelio Marci eosque difficiliores adhuc in medium proferam. Alter est c. 7, 19., insignis varietate lectionis, quam codices exhibent: εἰς τὸν ἀφεδρῶνα ἐκπορεύεται, καθαρίζων — vel καθαρίζον — πάντα τὰ βρώματα. Nam quod Cod. Cantabr. habet: καθαρίζει, nullo in numero ponendum. Illis autem ex lectionibus si quaeras utra alteri praeferenda sit, καθαρίζον genuinum esse vix dubitaverim. Quamvis enim, quod Buttmannus noster (§. 123. 5) cum Lachmanno et Tischendorfio amplectitur, καθαρίζων et alieno casu et sine articulo cum nomine ἀφεδρῶνα conjunctum ex usu novi testamenti satis defendi possit, sententia tamen multo concinnior prodire videtur, si participium neutrum καθαρίζον ad rem et enunciationem universam ita referatur, ut dicat, quid haec sibi velit sive quid efficiat. Neque anxius sum de numero codicum, qui participio masculino favent. Nam ut nihil dicam de permutatione literarum ο et ω et facillima et frequentissima, ipsa scribarum inscitia hoc factum puto, ut elegantiorem illam verborum structuram, quae participio neutro efficitur, non intellectam suo more audacter corrigerent. Alterum huic locum adjungo ex ev. Marci c. 5, 36. In quo, servata lectione textus recepti: ἀκούσας τὸν λόγον λαλούμενον, aliquam difficultatem inesse (a Fritzschio aliisque interpretibus non observatam) Buttmannus (§. 144. 16. p. 259) scite exposuit: idem tamen, quum eam existimet medelam esse adhibendam, ut testium quorundam fide aut omittatur λαλούμενον aut praefixo articulo legatur: τὸν λαλούμενον, neglexisse videtur, quod codices praestantissimi (Vaticanus, Stephani η et Sangallensis) remedium offerunt, a Tischendorfio probatum. Cum his enim si legas: παρακούσας τὸν λόγον λαλούμενον (quod internis aeque argumentis atque testium auctoritate commendatur), nulla jam difficultas supererit, sententia autem plane commoda redundabit. Nam archisynagogo quum mors filiolae a suis nunciata esset, Jesus verbum hoc dictum se audisse dissimulans (er that als ob er das Wort nicht hätte sprechen hören) hortatur adflictum, ut fidem habere pergat et nihil motus illo nuncio ad auxilium ferendum sese accingit.

§. III. Ut ~~novam~~ aliam nunc materiam adgrediar, brevibus verbis de singulari quodam usu

numeri pluralis disseram. Eum dico quem pluralem categoriae vel indefinitum aliisve nominibus adpellant (cfr. Winer. §. 27. 2). Rhetoricae id quidem et poëticae figurae est, rem unam eo modo designare, ut de pluribus loqui videaris [5]), nec vituperandi sunt grammatici, qui hanc dicendi formam ad interpretes relegent (v. Al. Buttm. §. 123. 2): sed horum maxime interest eam animadvertere. Quod si neglectum fuerit, facillime fiet, ut error aliquis irrepat. Accidisse hoc A. Gellio videtur, qui in noctibus Atticis l. II. c. 13 scribit: antiqui aratores historiaeque aut carminum scriptores etiam unum filium filiamve liberos multitudinis numero adpellaverunt. Quamvis enim quod ex vetere auctore exemplum adfert diversi generis sit, dubium non est, illam ejus observationem inde enatam esse, quod liberi a rhetoribus et poëtis saepenumero per pluralem indefinitum dicerentur [6]). Simili errore laborasse mihi videntur, si qui interpretes novi testamenti in loco Act. 17, 18. ex verbis: οἱ δὲ (ἔλεγον)· ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι, ὅτι τὸν Ἰησοῦν καὶ τὴν ἀνάστασιν εὐηγγελίζετο, hoc elicuerunt, τὴν ἀνάστασιν, quam Paulus pronunciaverit, a parte audientium pro nomine Deae alicujus habitam esse. Atvero, ut taceam, ex sententia gentilium ξένα δαιμόνια novam et peregrinam religionem dici, qui usum pluralis indefiniti adverterit, probe intelliget, illo modo Athenienses loqui potuisse, etiamsi de pluribus deis a Paulo pronunciatis minime cogitassent. Eadem fere ratio est locorum Matth. 22, 1. Marc. 12, 1., ubi quum singulae parabolae referantur, Jesus ἐν παραβολαῖς locutus dicitur. Neque enim dubito frustra esse, qui hunc pluralem inde repetunt, quod singulae illae parabolae pro delectu earum, quas Jesus tunc proposuerit, habendae sint.

Omnino autem hoc genus dicendi a novo testamento non alienum esse exempla satis multa testantur. In illo quidem notissimo Matth. 2, 20. τεθνήκασιν οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου scriptorem his verbis ex loco veteris testamenti Ex. 4, 19. repetitis ibique ad plures relatis uti haud negligendum est. Reliquorum ex numero exemtos velim eos locos, in quibus causa pluralis indefiniti haec sola esse videtur, quod auctor in narrando non ita accuratus est, ut singula quaeque rerum gestarum momenta ad amussim exacta denotet, veluti Matth. 21, 7. 26, 8. 27, 44. Non confundenda haec ratio narrandi liberior cum usu illo pluralis rhetorico, qualis in locis Matth. 9, 8. Marci 7, 37. Act. 7, 41. 19, 38. 21, 28. Hebr. 9, 36. Jo. 4, 38. al. deprehenditur. Verba Matth. 9, 8: ἐδόξασαν τὸν θεὸν τὸν δόντα ἐξουσίαν τοιαύτην τοῖς ἀνθρώποις Fritzschius sic interpretatur: celebravit turba Deum, quod tam insignem facultatem hominibus s. generi humano tribuisset, quam concessam hominibus inde conjecit, quia Jesum hominem ea instructum vidit. Vere hoc dictum, sed vix opus erat ad-

---

5) Quamquam alio quoque modo per attractionem quandam numeri fit, ut res una plurali significetur, siquidem pro objecto est et ad notionem hoc numero expressam refertur. Cfr. Marc. 7, 2.: ἰδόντες τινὰς τῶν μαθητῶν — ἐσθίοντας τοὺς ἄρτους; 1 Thess. 2, 8. εὐδοκοῦμεν (i. e. ego, Paulus) μεταδοῦναι καὶ τὰς ἑαυτῶν ψυχάς. Inde illud, quod primo adspectu mirum videri possit, Marc. 3, 17.: ἐπέθηκεν αὐτοῖς ὀνόματα Βοανηργές.

6) Cfr. Plauti Aulul. 4, 10. 6. Ter. Andr. 5, 3. 20. Hec. 2, 1. 15. Cicero pro lege Man. c. 12. Phil. I, 1. al. Usum illum pluralis et in illa notione et in aliis apud tragicos graecos frequentissimum esse inter omnes notum est.

dita monitione: ne pluralem pro singulari locatum putes, memento illum, ut in sententia generali, locum suum tueri. Nam id quidem nemo censuerit numerum pluralem pro singulari ullo in loco ita usurpari, ut nihil discriminis inter utrumque sit. Immo concessum ab omnibus, quod idem Fritzschius ad Matth. 2, 20. (Comment. p. 100) adnotat, generatim rem unam proponi, ubi numero plurali exprimatur, sive quod Reisigius, ibidem laudatus, acutiore sententia declarat, rhetoricum illum pluralem adhiberi, si res quaeque, non quanta sit numero, sed qualis genere sit, spectetur. Nunc videndum de reliquis locis quos memoravi. Act. 7, 41. Israëlitae dicuntur exultantes ἐν τοῖς ἔργοις τῶν χειρῶν αὐτῶν, haec ἔργα autem de vitulo aureo dici, quem fabricati erant, ex ipso loco patet [7]). Mirum igitur, plerosque interpretes, ne res una plurali numero designata videretur, id egisse, ut res plures efficerent enumerarentque. Kuinoelius quidem pluralem istum ad epula sacrificalia ab Israelitis celebrata refert, alii cultum vituli aurei sine ara (cfr. Ex. 32, 5) ceteroque adparatu fieri non potuisse monent. Hoc unum, opinor, supererat, ut eandem rem bis vel saepius factam suspicarentur. In altero Actorum loco c. 19, 38. scriba publicus Ephesiorum, qui proconsule romano rerum suarum moderatore utebantur, plebem tumultuantem hujus ad tribunal ita delegat, ut proconsules esse dicat, quos adire debeant. Quod Act. 21, 28. exstat, ita planum est, ut explicatione vix indigere videatur. Judaei Trophimum e gentilibus christianum Pauli comitem quum in templum ab eo introductum putarent, hoc apostolo crimini dabant, quod gentilibns admissis locum religiosum profanasset. Similiter id dictum atque illud in Livio 42, 3., Flaccum censorem ob aedem Junonis Laciniae in Brutiis violatam male audivisse ab accusatoribus, qui eum per sociorum urbes diruentem templa nudantemque tecta aedium sacrarum vagari jactitaverint. Eodem referendum, quod Marci 7, 37. Jesus sanato aliquo homine surdo et muto celebratur his verbis: καὶ τοὺς κωφοὺς ποιεῖ ἀκούειν καὶ τοὺς ἀλάλους λαλεῖν. Loco autem Hebr. 9, 23. κρείττοσι θυσίαις de sacrificio, quod Christus morte expiatoria obtulit, eam quidem ob causam dictum, quia hoc tamquam novi foederis sacrificium cum iis, quae veteris testamenti erant, contendebatur. Denique in ev. Jo. 4, 38. Christum verbis: ἄλλοι κεκοπιάκασιν de suo potissimum ipsius labore loqui vix dubium est, ita tamen, ut sese quodammodo latentem faciat inter omnes illos, qui labore suo fructum et messem aliis parant.

Quodsi locos spectes quales illi sunt Marc. 7, 37. Act. 21, 28., planum erit, quid sibi velit, quod multi eminentiae hunc pluralem esse dicunt: verissime autem, qui sollerter de eo disseruit, S. V. C. L. Rothius [8]) censet, pro re nata fieri, ut modo amplificet modo imminuat, neque aliam ejus vim esse nisi illam, quae nomine pluralis indefiniti significetur. Idem si collatum vult, quod orator vel auctor libri, ubi de sua persona loquitur, plurali numero uti soleat, nequaquam repugnaverim, sed alias esse dicendi formas, quae etiam propius absint, existimo.

Nam eadem fere natura videtur esse illius formulae: οἱ περί τινα, et eodem fere modo

---

7) Notandum, idola in vetere testamento solere nomine collectivo מַעֲשֵׂה יְדֵי אָדָם adpellari, in versione Alexandrina pluralem ἔργα τῶν χειρῶν substitui cfr. Deut. 4, 28. Palim. 115, 4. 135, 15.

8) V. ejus observationes editioni quam instruxit Agricolae additas.

subjectum indefinitum si verbo exprimitur, tertia plerumque persona numeri pluralis adhiberi. Hoc alterum in novo quoque testamento quam frequens sit, non est quod moneam: illustrissimum, puto, exemplum et quod egregie ostendat, cum plurali indefinito hunc usum convenire, in loco Lucae c. 12, 20. deprehenditur; ταύτῃ τῇ νυκτὶ τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σοῦ. Altera illa formula: οἱ περί (ἀμφί) τινα quamquam ad sacros scriptores non pertinet, sunt tamen loci, in quibus pro plurali indefinito commode usurpari poterat. Alium, quo id magis conspicuum fiat, locum non habeo quam Act. 9, 27., ubi Barnabas Paulum Christo nuper addictum ad apostolos (πρὸς τοὺς ἀποστόλους) deduxisse dicitur. Paulus ipse quidem Gal. 1, 18. 19. dum narrat, quid illo tempore actum sit, mentione Petri facta neminem ait praeter hunc ex apostolis nisi Jacobum, fratrem Domini, tum a se visum esse. Ad hos igitur, Petrum dico et Jacobum, interpretes referunt, quod illo Actorum loco Paulus πρὸς τοὺς ἀποστόλους fuisse deductus perhibeatur. Equidem non quaero, num Jacobus, ὁ ἀδελφὸς τοῦ κυρίου, in ipsis apostolis numerandus sit; poterat enim nuncupari hoc nomine, etiamsi strictiore sensu apostolus non fuisset (cfr. Act. 14, 14.), nec verba, quae Gal. 1, 19. leguntur: ἕτερον τῶν ἀποστόλων οὐκ εἶδον εἰ μὴ Ἰάκωβον id efficiunt, ut pro apostolo habendus sit (cfr. de usu formulae εἰ μή et similium Matth. 12, 4. Gal. 2, 16. Act. 27, 22.): sed totam hanc quaestionem nihil ad rem facere et Paulum πρὸς τοὺς ἀποστόλους deductum dici potuisse arbitror, si vel nullum tunc apostolum convenisset. Qui enim οἱ ἀπόστολοι isto loco vocantur, non sunt personae apostolorum, sed illa societas, quae et apostolos et eorum sive amicos sive sectatores complectebatur; ut verbo dicam, sunt οἱ περὶ τοὺς ἀποστόλους (der Apostelkreis).

Jam si forte mireris, quod in re parum difficili longius morati simus, id agebat haec expositio, ut eum ad locum, in quo maxime interest usum illum pluralis indefiniti agnosci, paratiores accederemus. Verendum autem, ne hoc quoque παράδοξον habeatur, si verba 1 Cor. 15, 29: ὑπὲρ τῶν νεκρῶν in illo genere ponenda et quem significent ipsum Christum esse dixerim. Haud nova quidem haec interpretatio, sed quae recentioribus adeo displiceat, ut eam revocare vix audeas. Verbis utique planissimis apostolum de illo loqui more, quo factum sit, ut pro homine aliquo antequam baptizaretur mortuo seu vice hujus vel amicus vel necessarius aliquis superstes baptismum susciperet, nec nisi praejudicatae opinionis esse, si quis dicta Pauli alium in sensum detorquere conetur. Immo vero, hoc maxime cavendum in loco proposito, ne id, quod in summa interpretum discrepantia singulari quadam eorundem conspiratione quasi sancitum videatur, tibi pro opinione praejudicata sit.

At ex historiis audio veram interpretationem esse petendam (cfr. Win. gramm. §. 27. 2.). Historia scilicet comprobatum, fuisse in ecclesia apostolica, qui vice mortuorum baptizarentur! Vide quaeso, quosnam testes adhibeant. Primus quidem Tertullianus excitatur; secundo loco sunt Epiphanius et Chrysostomus. Jam vero Tertulliani testimonium eo redit, ut in libro de resurrectione c. 48. et in quinto adversus Marcionem c. 10. Paulum apostolum 1 Cor. 15, 29. de baptismo vicario locutum arbitretur. Quorum hominum vel quarum partium hic mos fuerit, ne verbo quidem indicat. Ergo interpretem sacrarum literarum eumque pro sorte humana errori obnoxium, non testem historicum habes Tertullianum. Chry-

sostomus autem quod in homilia 40. usum illum vel abusum Marcionitis tribuat, dubito an ex ipso Tertulliano id haustum sit. Qui quum in libris adversus Marcionem editis baptismi vicarii mentionem fecisset, propterea hoc factum videri poterat, quod Marcionitae illo usi sint. Verum si vel maxime Chrysostomus retulerit, quae sibi cognita et comperta habuisset, nihil inde aliud sequitur nisi illius aetate apud Marcionitas vel Marcionitarum reliquias baptismum pro mortuis receptum fuisse. Quod ad rem nostram quid faciat, difficile est intellectu. Nam si Marcionitae hoc genere baptismi utebantur, ii certe non erant, ad quos Pauli apostoli verba referri possent. — Sed tertius adhuc nobis reliquus est Epiphanius, testis, opinor, praeter alios locuples! Cujus quanta sit levitas, quanta, ne quid durius dicam, credulitas et in exploranda veritate negligentia, si aliunde non satis superque constaret, ex ipso illo capite, quod haeresin vicesimam octavam i. e. Cerinthianam tractat, perspectum haberes. Is igitur traditum dicit, Paulum illo loco 1 Cor. 15, 29. hoc egisse, ut Cerinthianos de Christi resurrectione dubitantes eosdemque baptismum pro mortuis suscipientes inconstantiae convinceret. Idem vero quum sectam Cerinthianorum aetate apostolica per Asiam propriam et inter Galatas propagatam faciat, oblitus videtur, non Asiaticos vel Galatas sed Corinthios esse, ad quos Paulus apostolus de baptismo ὑπὲρ τῶν νεκρῶν scripserit. Non attinet haec pluribus exponere: quod dicunt, baptismum vicarium in ecclesia, qualis aetate apostolorum fuit, usitatum ex historiis evinci, id nullum est. At alia quoque loci Paulini interpretatio ad historiam provocat. Qui enim obscurum illud apostoli dictum ex antiquitatibus illustratum volunt (cfr. Wineri gramm. §. 51. 5. l.), non de vicario baptismo, sed de eo cogitant, quem in sepulcris mortuorum nonnulli subierint. Ergone hoc moris fuisse inter christianos Pauli aequales? Nam mitto nunc, quod alii monuerunt, praepositionis ὑπέρ cum genitivo constructae ejusdemque ad notionem loci relatae nullum in novo testamento exemplum reperiri, mitto, sententiam apostoli, si hoc sibi velit, paulo longius arcessitam et pro argumento languidiorem videri; hoc unum urgeo, morem illum, qui ad cultum martyrum, qualis posthac exstitit, sese adjungeret, ab ipsis rerum christianarum originibus alienum esse nec ullo documento tam longinquam ejus vetustatem comprobari posse. Itaque, historiam si consulas, nihil hac suppeditatum habes, quod praejudicium faciat. Nisi forte Patrum auctoritate, qui Paulum de baptismo vicario loqui putaverunt, ita devinctus es, ut alias in partes discedere non liceat.

Quam quidem Patrum explicationem non infitior ex verbis apostoli facillime prodire multoque simpliciorem esse illis artificiis, ne dicam portentis interpretationum, in quibus excogitandis multi ex recentioribus desudaverunt. Immo si verba sola spectanda sint, neminem puto fore qui aliter sentiat. Sed non praejudicatae hoc opinionis est, dubitare num vera sit interpretatio, quae, etsi facilis et minime contorta, sententiam vel absurdam vel a mente auctoris alienam efficiat. Etiam in profano auctore ipsa lex hermeneutica praecipit, ut, si forte aliquid absurdum aut sibi contrarium dixisse videatur, non temere amplectaris; in sacro autem scriptore explicando qui eam dicit esse libertatem judicii, ut nihil pensi habeat interpres, utrum vera an falsa eliciat, is quid dicat ipse videat et libertate sua fruatur. Quorsum haec disputo? Non ut iis adstipuler, qui in locis difficilioribus satis habent, si qualicunque aliqua interpretatione extorqueant, quod speciem quandam veri prae se ferre possit; nam

ipsam solam veritatem esse quaerendam censeo: sed alia res est vim facere literis sacris, alia non sine dubitatione admittere, quod absonum et scriptore sacro indignum sit.

Missis nunc ambagibus hoc primum moneo, quod ab aliis quoque animadversum est, continuationem sententiarum non satis concinnam adparere, si 1 Cor. 15, 29. verba: οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν ad eos referas, qui sacrum lavacrum pro mortuis subierint. Quum enim illo loco inde a v. 21. usque ad v. 28. expositum sit, Christum hominibus auctorem resurrectionis veraeque vitae esse, suo autem ordine quemvis resurrecturum, ita quidem, ut post Christum, quando ipse redierit, ii quos sibi addictos habeat, resuscitentur, tunc vero eum devicto quovis hoste patri omnia traditurum et sese ipsum subjecturum esse; hoc igitur quum illis versibus expositum sit, mirum sane videbitur, qui fiat, ut his dictis apostolus ad baptismum illum vicarium subito delabatur. Quodsi paulo negligentius haec et solutiore, ut in epistola, ordine scripta dicunt (cfr. Rückert. ad h. l.), non ignoro equidem, Pauli in epistolis multa inesse, quae ingenium scribentis alacre et vividum liberiore quadam continuatione sententiarum prodant; sed formae id concisique sermonis esse solet nec ita comparatum, ut tenorem continuum desideres: non abest hic tenor, latet potius et anquirendus est [9]). Egregia vero haec exercitatio interpretis et plurimum faciens ad mentem auctoris aperiendam, eas quolibet loco notiones et sententias eruere, quae per ambitum aliquem orationis quasi regnent ac singulas hujus partes ex se suspensas habeant. Nostro autem loco praecipuum hoc est, fidem et spem hominis christiani omnem in Christo ex morte resuscitato positam esse. Quod si falsum sit, ait apostolus, fides et spes tota corruit; atqui verissimum illud est ac certissimum: Christus ex morte rediit auctor suis et princeps vitae post mortem recuperandae. Dehinc ea sequuntur, quae a v. 21. usque ad v. 28. de modo et tempore resurrectionis aliquando futurae apostolus ita exponit, ut Christum finito hoc rerum ordine in gloria adpariturum et regnum suum hoste jam nullo superstite consummatum Deo patri redditurum esse doceat. Quae expositio quum sententiae, quam diximus, primariae subjuncta sit, continuans orationem Paulus ad hanc ipsam redit in proxima parte, quae versus a 29no usque ad 32^{dum} complectitur, hoc argumento, ut, si vana sit spes resurrectionis, irritum esse moneat vel baptismum ὑπὲρ τῶν νεκρῶν vel quidquid pro causa Christi apostolus ipse toleret ac sustineat. Animo igitur obversatur praecipuum illud: omnis spes nostra in resurrectione Christi sita est, quae si nulla sit, concidit; ad hoc sese adplicans pergit his verbis: nam quid facient οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν? cur etiam nos quotidie mortis periculum subimus? Jam si fingo, βαπτίζεσθαι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν de baptismo vice mortuorum suscepto dici, non ea est difficultas, quod argumentatio ad probandam veritatem resurrectionis spectans post digressionem v. 21 — 28. factam continuetur, sed quod eo id fiat modo, qui universae tractationi parum congruat. Unde enim illi, qui pro aliis baptizantur, repente in medium prodeunt? Hi quaeso cur soli recensentur sine ulla eorum mentione, qui pro se ipsis in Christum baptizantur? Nam id quidem non est

9) Vix monito opus esse videtur, non de iis hoc locis dictum, ubi apostolus, siquando absolverit aliquam materiam, praefatione omissa ad aliam transgreditur; quod non rarum est in epistolis, praesertim iis, quae ad quaestiones apostolo propositas servato harum ordine respondent.

dubium, planam et convenientem fore expositionem, si Paulus hoc loco profiteatur, sublata spe resurrectionis baptismum christianum omnino nihil valere; sin de singulari quodam baptismo vice mortuorum suscepto verba faciat, hujusce ipsius memorandi quae causa apostolo fuerit, neminem puto intelligere posse. Adde, quod v.v. 29 et 30. baptismus ille et ea, quae Paulus in gerendo munere apostolico gravissima passus est, inter se componuntur. Eadem igitur, si βαπτίζεσθαι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν est vice mortuorum baptizari, eadem, inquam, causa eorum, qui nescio qua spe ducti vanam foedamque superstitionem exercent et apostoli fide ac spe certissima ad omnes vel labores vel dolores pro Christo subeundos erecti. Itaque, etiamsi nihil aliud esset, quod in ista interpretatione offendere posset, ea certe maxima injiceretur dubitatio, quae ad ipsum tenorem argumentationis ipsamque sententiarum continuationem pertineret. Omnis autem tollitur haec difficultas, si in locum baptismi illius vicarii baptismum vere christianum substituas i. e. si verba apostoli: ὑπὲρ τῶν νεκρῶν ad Christum ipsum referas.

Quod fieri posse et usum pluralis indefiniti hoc loco aptissimum esse nihil dubito. Nam vita post mortem si nulla est, Christus igitur ex morte in vitam si non rediit, quonam in numero eum habebimus? Desiit quippe persona esse et quasi evanuit inter mortuos, adeo ut, qui propter ipsum baptizatur, propter mortuum, sive figura pluralis indefiniti adhibita, propter mortuos baptizetur. Non diffiteor, aliquanto faciliorem fore hanc interpretationem, si genitivus νεκρῶν sine articulo positus esset; sed tanti hoc esse nego, ut propterea rejiciendum videatur, quod idoneis alioquin rationibus firmatum sit. Quamquam notioni indefinitae, quam ille pluralis exprimit, omitti articulum maxime consentaneum est, potuit scriptor, quum in superioribus mortuos jamjam memorasset, ubi iterum designandi erant, ἀναφορικῷ quem dicunt articulo uti, potuit omnino, quorum in numero Christus esset ponendus, vel νεκρούς adpellare vel τοὺς νεκρούς [10]). Saepe quidem in talibus fit, ut ex solo scriptoris arbitrio sive ex ea, quam animo concepit, informatione notionis exprimendae pendeat, utrum articulo utatur necne, cujus rei unum suffecerit exemplum attulisse ex 1 Cor. 9, 19. ubi in verbis: ἵνα τοὺς πλείονας κερδήσω, aliter informata notione articulus reticeri poterat.

Sed iis nunc respondendum, qui in praepositione: ὑπέρ haesitant et baptizari pro aliquo non idem esse dicunt ac baptizari in aliquem. Nihil sane hoc dicto verius; at falsi sunt, qui cum Olshausenio (ad h. l.) id agi in re nostra putant, ut rationibus grammaticis probemus, βαπτίζεσθαι ὑπέρ τινος ejusdem esse significationis atque: εἴς τινα vel: ἐν ὀνόματί τινος. Nostra ex sententia βαπτίζεσθαι ὑπὲρ Χριστοῦ est baptizari propter Christum, sive eo fine et consilio, ut per baptismum Christo addictus quaecunque suis promisit, tibi propria facias. — Christus si ipse jam nullus est, cuinam quaeso causa esse poterit baptismi, quo instituto spem suis largissimam proposuit, suscipiendi? Quid sibi volunt igitur, si ita se res habet, qui propter mortuum Christum baptizantur? Hunc enim sensum esse arbitror verbo-

---

10) Articuli usum in plurali indefinito haud omnino prohibitum, immo nonnunquam vel necessarium esse exempla ubivis obvia testantur. E novo testamento huc pertinent Matth. 2, 20. Act. 7, 41. Ex aliis, quae forte in manus incidunt, haec Sophoclis: Ant. v. 9 s. Aj. v. 1131 s. 1305 — 7. El. v. 1421. Oed. rex v. 366.

rum: τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι; ut reddere possis: quid illi sibi volunt? Quamquam nihil nobis officit, si cum aliis interpreteris: quid lucri habebunt s. quid adsequentur? Sed vereor, ut haec significatio verbi ποιεῖν ad usum novi testamenti pertineat, et maxime quaerendum puto, quid hoc verbum iis in locis, ubi eadem ratione qua in nostro, interrogationem exprimit, quid igitur in formulis istis: τί ποιῶ; τί ποιοῦμεν vel ποιήσομεν; et similibus valeat. Ibi quidem, nisi fallor, alterutrum obvenit, ut formula: τί ποιῶ; aut simpliciter sit: quid facio? quid ago? i. e. quid agendum habeo? (cfr. Jo. 11, 47.: τί ποιοῦμεν; nos: was fangen wir an?), aut illud dicat: quid hoc sibi vult quod facio? (cfr. Marc. 11, 5.: τί ποιεῖτε λύοντες τὸν πῶλον; Act. 21, 13: τί ποιεῖτε κλαίοντες;). Jam nostrum in locum utraque haec significatio cadere possit, ita quidem ut, alteram si amplectaris, apostolus dicat: quid agent illi s. quomodo iis consultum erit? si alteram: quid judicandum erit de illis i. e. quid sibi volunt? Etsi non ita magni discriminis utrumque sit, hoc tamen alterum praefero, quia cum eo, quod proxime sequitur: τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν; (i. e. quid sibi vult, quod nos quotidie maxima pericula subimus?) optime convenit. Eadem in his verbis explicandis Billrothii sententia fuisse videtur, quum per paraphrasin interpretaretur: quid eos facere adparebit s. quid ii facere invenientur? in quo, etsi Olshausenius aliter sentiat, nihil esse video, quod interpretem graecae dictionis haud ignarum offendere possit. Neque enim Graecis infrequens est hic temporis futuri usus, quo fit, ut rem aliquam denotet, ipsam quidem non futuram, sed quae judicanda proponatur et sic spectata quasi futurae cognitionis sit (cfr. Krüger, griech. Sprachlehre §. 53. 7. 1. Nonnulla, quae huc pertineant, etiam Bernhardy Synt. p. 378 exhibet). A quo usu Futuri novum quoque testamentum non abhorrere ex locis Jac. 1, 25. (οὗτος μακάριος ἐν τῇ ποιήσει αὐτοῦ ἔσται), Matth. 7, 24. 26. (ὁμοιώσω, ὁμοιωθήσεται) et id genus aliis patet.

Haec habui, quae de loco vexatissimo dicerem, cujus vera interpretatio mihi ex plurali indefinito petenda videtur.

§. IV. Adjungere his libet, quod de usu quodam elegantiore temporis praesentis in modo indicativo observandum venit. Commune quidem omnium fere linguarum, non graeci sermonis proprium est, praesenti tempore ita uti, ut id denotans, quod esse debet vel solet rectaeque rationi convenit, naturam quasi imperativi nonnunquam induat: frequens idem in novo testamento, quinimmo frequentius dixerim quam animadversum ab interpretibus video. Primum nobis exemplum sit Marc. 10, 43., ubi testes praestantissimi exhibent: οὐχ οὕτως δέ ἐστιν ἐν ὑμῖν. Altera lectio est, ἔσται, quam Fritzschius ut unice veram defendit his verbis: „ἐστίν h. l. ineptissimum esse quivis, cui intelligens judicium sit, confitebitur. Nam dicit Jesus de eo, quales se debeant praebere apostoli, non quales se vere praebeant — —. Quare ἔστω et ἔσται potuit scribi, ἐστίν non potuit. Nihilominus Dav. Schulzius, qua est inconsiderantia, lectioni ἐστίν suum: recte adspersit.“ Quae quamquam fortiter dicta sunt, perpaucos esse puto, qui hodie cunctentur Schulzio calculum adjicere in probanda lectione: ἐστίν, quam optimae notae codices summaeque auctoritatis versiones tuentur, quam interna argumenta egregie commendant, quam Lachmannus, Tischendorfius, recentiores critici tantum non omnes amplexi sunt. Nam quod Fritzschius dicit, ἐστίν scribi non potuisse, id vero

inconsiderantiae esse videtur. — Jesus quum sive fastum et superbiam, sive pompam et adparatum, quales in dominantibus conspici soleant, discipulis suis ante oculos posuisset, ad ipsos conversus hoc, inquit, non vestrum est s. haec ratio in vos non cadit i. e. vos non debetis tales esse. Pari modo Paulus 1 Cor. 5, 12. dicit: οὐχὶ τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε; nonne vestrum est, eos judicare, qui intra ecclesiam sunt? s. nonne hos judicare vos debetis? In eadem epistola c. 2, 14. idem: πνευματικῶς ἀνακρίνεται, hoc sensu: spiritaliter ea dijudicanda sunt s. dijudicari debent. Simile illud in ep. ad Hebr. c. 5, 4.: οὐχ ἑαυτῷ τις λαμβάνει τὴν τιμήν, quod vertere possis: non hominis est honorem sibi adrogare s. homo ipse sibi honorem adrogare non debet. In his omnibus nihil esse puto, quod dubitationem habeat. Sed eodem ex genere ut multa adjici possunt, ita alia sunt controversa et minus perspicua. Inter haec refero locum in ep. Jac. 3, 18.: καρπὸς δὲ δικαιοσύνης ἐν εἰρήνῃ σπείρεται τοῖς ποιοῦσιν εἰρήνην. Quae ita exponere, ut singula quaeque momenta perpendantur, non est nostri consilii; nam de eo, quid sit fructus justitiae, tantopere inter se discrepant interpretes, ut brevi haec quaestio absolvi nequeat: ego quidem ex consuetudine Jacobi καρπὸν δικαιοσύνης pro: καρπὸν δίκαιον i. e. τέλειον dici existimaverim, sed quod nunc maxime ago, id ad verba pertinet: καρπὸς σπείρεται, quibus hoc arbitror exprimi: fructus vult seri, vel: debet seri. Praeterea nihil moneo nisi hoc unum: τοῖς ποιοῦσιν εἰρήνην (i. e. τοῖς εἰρηνοποιοῖς) mihi pro Dativo commodi habendum videri, ut haec prodeat apostoli sententia: qui justus sit fructus, in pace debet seri idemque redundat in eos, qui pacem colunt. Quod quidem per abundantiam dictum non existimabit, si quis locis similibus Rom. 3, 22. et Gal. 3, 22. collatis secum reputaverit, quonam consilio fieri soleat, ut talia nonnunquam addantur, quae speciem aliquam abundantiae prae se ferant. Sed redeundum ad quaestionem propositam. Nonnullis in locis novi testamenti quae repugnantia inter se et minus consentanea videri possint, ex usu illo temporis praesentis et modi indicativi facillime explicantur. Cujus rei exemplum habe, quod 1 Cor. 8, 1. dictum exstat: οἴδαμεν ὅτι πάντες γνῶσιν ἔχομεν, ibidemque v. 7.: ἀλλ' οὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις. Varia a variis in hoc loco tentata sunt eaque, ut dicam quod sentio, pleraque parum probabilia: proxime quidem a vero abesse ii videntur, qui Paulum v. 1. de re universa et per se spectata, v. 7. de ipso statu, qualis apud Corinthios obtineat, loquentem faciunt; qua autem ratione hoc colligatur si quaero, non aliam video nisi eam, quae illo ex usu repetenda sit. Quod h. l. dicitur: nos omnes cognitionem habemus, non de cognitione, quam omnes vere habeant, sed de ea, quam habere possint vel debeant, eoque sensu dictum puto, ut valeat: nostrum omnium est, cognitionem habere. Jam vero, quod christianorum omnium est, id non in singulis quibusque christianis reperitur; quare nullo modo secum pugnat apostolus, quum v. 7. de singulis negat, quod v. 1. in universos cadere dixerat. Nam saepe fit, ut de universis aliquid vere dicatur, quod multum abest ut de singulis omnibus vere dici possit. Sic quidem, quod 1 Cor. 7, 32 ss. de diversis coelibum et maritorum curis, 1 Tim. 5, 5. de viduis spem suam in Deo collocatam habentibus scriptum legimus, non ad singulas omnes, opinor, personas aeque pertinet. Quamquam trita haec et quae neminem fugiant. — ~~Novum~~ Simul nunc addo superioribus exemplum, quod praeterire noluerim: 1 Cor. 9, 17. εἰ γὰρ ἑκὼν τοῦτο πράσσω, μισθὸν ἔχω, quibus in verbis μισθὸν ἔχω non est: habere praemium, sed: habere posse vel debere i. e. praemio dignum esse.

Quoniam vero series et continuatio sententiarum in hoc loco paulo impeditior est, non abs re fore arbitror, si per occasionem breviter exposuerim, quomodo singula quaeque inter se connexa esse mihi videantur. Ipsum quidem argumentum, in quo tractando apostolus versatur, id est, quod v. 15. exhibet. Quae de jure apostolico monuerit, non eo consilio monita dicit, ut ipse illo utatur victumque ab ecclesiis christianis sibi praebitum accipiat; malle enim se mortem pati quam perdere, in quo glorietur. Jam reliqua ut vel ipsius verbis utar vel paraphrasi illustrem, v. 16. et 17. in hunc modum pergit: evangelium quidem praedicare, id ipsum mihi non est gloriae; nam hoc ut faciam, necessitas mihi injuncta est (vae mihi, si munus hoc divinitus demandatum ego deseruerim!); ita quippe se res habet, ut, quum praemio dignus sim, si libenter id exsequar, partes muneris delati vel invitus explere debeam [11]).

Ceterum, ut libere fatear quid mihi propositum sit, etiam in hac quaestione de modi indicativi tempore praesenti, singulare aliquid praecipue spectavi, quod nescio an illo ex usu explanari possit. Christi effatum dico illud πολυθρύλλητον in evang. Matth. c. 11, 12. relatum: ἀπὸ δὲ τῶν ἡμερῶν Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ ἕως ἄρτι ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν. De qua sententia longum est et a nostro consilio alienum recensere quidquid interpretes commenti sunt; maximam quidem horum dissensionem esse in vulgus notum est; quae autem novissima exstat interpretatio Zyronis (in libro periodico: theol. Studien und Krit. 1860. 2. nuper prolata), vereor ut multis probetur. Nam alia ut taceam, hac maxima difficultate laborat, quod ἁρπάζουσιν de Christo et Christi adjutoribus dictum vult ea significatione, ut hoc verbum valeat: ad effectum perducere. Quae significatio quum usu linguae minime commendetur, non satis intelligo, quid auctorem interpretationis permoverit, ut contenderet, verbum ἁρπάζειν nostro loco ad assem hoc valere, nec plus nec minus. Neque vero iis accedere possum, quae Dr. Al. Suicerus, collega quondam noster in academia Turicensi conjunctissimus, pridem de hoc loco (theol. Studien und Krit. 1836. 1.) perquam sagaciter et ingeniose exposuit. Nam pro vero quidem amplector, quod aliquam vituperationem in effato Christi inesse ex contextu evincit, sed eam puto vituperationem, quae non verbis βιάζεσθαι et ἁρπάζειν exprimatur [12]). Hoc enim, nisi me omnia fallunt, oratio contexta planum facit, Joannem baptistam leniter corripi eo nomine, quod ipse regni divini praecipuus et summus praeco propheticus in hoc non ingrediatur, sed quasi in liminie subsistat. Prophetiae et quae

---

11) Sententiarum: εἰ γὰρ ἑκών etc. et: εἰ δὲ ἄκων etc. eam rationem esse statuendam existimo, quae ex usu Graecorum frequentissima est, ubi duo membra orationis per particulas μέν et δέ ita inter se opposita sunt, ut prius membrum secundarii ordinis habendum, primaria sententia in altero posita sit. Winerus quidem (§. 66. I. 7. d. β.) in hac constructione μέν reticeri negat, et Fritzschius ad Rom. 10, 19., quotiescunque μέν non scriptum sit, ne cogitatum quidem esse a scriptoribus dicit: sed missa hac quaestione, quid scriptores novi testamenti cogitaverint aut non cogitaverint, sexcentis exemplis probatum video, saepissime in novo testamento solum δέ sine praecedente μέν poni eo loco, ubi graeci scriptores hanc conjunctionem μέν non omissuri fuissent. De quo consentientes habeo auctores gravissimos, Baeuml. Gramm. §. 678. Anm. et Al. Buttm. §. 149. 11.

12) Pace id dixerim S. V. Dr. Weizsaekeri, censentis verba a Matthaeo exhibita: βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν non posse non in sensum deteriorem accipi et de iis dicta esse, quae aliena ab indole regni divini in hoc irruperint. (Vide Annalium theologiae teutonicae Vol. 4. Fasc. 4. p. 737.)

hac nititur, exspectationi futurorum non ultra locum esse: eo rem devenisse, ut regnum Dei praesens arripiendum sit, quod qui intermiserit, etsi summo antehac loco habendum, infimo quoque inter eos, qui arripuerint, inferiorem fore. Veram hanc minimeque insolitam verbi ἁρπάζειν significationem esse quum interpretes tum lexicographi exemplis idoneis docuerunt, quibus addo, in quae forte incidi, ex Cassio Dione 41, 44.: ἁρπάζειν τὸν καιρόν et eadem ratione dictum ἅρπακτός ex Hesiodi opp. et dier. v. 682. Sed quaestio principalis est de verbo βιάζεσθαι, quod bonam in partem posse trahi negant. Nihil moror: nam si bonum aliquid significat, hoc non ipso in verbo positum existimo, sed in sermone continuo. Primum vero quaerendum, forma βιάζεται, quam locus noster exhibet, utrum passiva sit an media. Si mediam sumseris, maxime commodum erit, quod Bengelius vult: sese vi quasi obtrudit, nec tamen ita commodum, ut nihil dubii supersit. Quamvis enim Bengelius adnotet: „saepe LXX βιάζομαι ponunt: vim adhibeo," exemplum hujus medii absolute et sine ullo additamento in verbi finiti forma positi apud Alexandrinos quoque vix puto reperiri. Accedit, quod ipsa verba sententiae, si inter se contuleris, formam passivam indicare videntur [13]). Nam quae sub finem versiculi dicta leguntur: καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν, ea sane optime cum antecedentibus concinunt, si haec id *fieri* in βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν dicunt, quod *facientes* eam arripere dicuntur, sive, ut apertius loquar, si hoc modo procedit oratio: vis infertur regno coelorum et vim inferentes illud arripiunt. Quamquam rectius diceres: vi expugnatur s. vi capitur regnum divinum (Hesychius: βιαίως κρατεῖται). Nam verbi βιάζεσθαι significationem, quae h. l. obtinet, non dubito ex re militari repetendam et ejusdem fere generis esse atque ea, quae variis imaginibus expressa ad militiam christianam spectant. Hic usus verbi est 2 Macc. 14, 41. (βιάζεσθαι τὴν θύραν); idem apud graecos scriptores frequens et tritus.

Jam in ipsa quidem verborum explicatione multi nobis patrocinantur, velut Neander (in vita Jesu) et de Wettius (ad h. l.), sed ita, ut effatum Jesu ad eam rerum conditionem referant, quae vere illo tempore fuerit. Excitatos homines audita Joannis exhortatione ad desiderium regni divini, auctum in dies eorum fuisse numerum, qui studio hujus quaerendi incenderentur, et id sibi velle dictum Jesu, ut magnum hunc motum animorum illa tempestate factum testificetur. Atvero, si maxime concedam, potuisse Christum ea, quae ante oculos posita habebat, in hanc partem interpretari et ex ardore in animis oborto laetissima regni divini incrementa augurari: illo certe loco non poterat, quum in eo esset, ut de opera in hominibus perdita, de obstinatione pervicaci, de veterno et torpore aequalium quereretur (v. 16—24.) Omnis autem haec difficultas illico dilabetur et nihil erit, quod dubitationem injiciat, si tempus praesens: βιάζεται illo modo positum sumseris, ut id designet, quod esse

13) Passivum et eas quoque Passivi formas, quae hujus et Medii communes sunt, etiam illis in verbis, quorum Activum fere nullo in usu est, usurpari satis constat. Hellenistas autem Passivo ne tum quidem prorsus abstinere, si verbum aliquod pro Activo nonnisi Medium habet, ex usu verbi λογίζεσθαι, qualis in novo testamento est, adparet cfr. Rom. 2, 26. 4, 4 s. 22. Transiit hoc ad scriptores ecclesiasticos. cfr. Orig. (Hippol.) Philosoph. 9, 12. (ed. Em. Miller p. 290): οὐ λογίζεται αὐτῷ ἡ ἁμαρτία.

debeat sive quod rerum conditioni, qualis sit, conveniat, ut vertere igitur possis: regnum coelorum vult vi expugnari. Quo sumto Christum habes dicentem, inde a Joanne baptista eo loco rem esse, ut vi summa eniti homines ad arripiendum Dei regnum oporteat. Multine an pauci hoc agant, nihil refert, siquidem Christi effatum non quid agatur pronunciat, sed quid agendum sit.

Literarum sacrarum peritis haec dijudicanda propono, non pro certis et omni dubio exemtis vendita volo: facere tamen non possum, quin moneam, Matth. 11, 12. et Luc. 16, 16., qui locus idem illud Christi dictum paulo aliis verbis relatum continet, interpretatione nostra facillime inter se conciliari. Verba apud Lucam haec sunt: ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται μέχρι Ἰωάννου· ἀπὸ τότε ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ εὐαγγελίζεται καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται. Jam id quidem falsum est, quod nonnulli quae in Matthaeo leguntur: ἡ βασιλεία βιάζεται iis, quae Lucas habet: ἡ βασιλεία εὐαγγελίζεται ad verbum congruere voluerunt; falsum est, inquam, illud Matthaei: βιάζεται si quis interpretari velit: vi magna praedicatur: sed re accuratius explorata nullam tamen diversitatem esse videbis nisi quae sola in forma dictorum versetur. Nam quod Matthaeus dicit, in eo esse, ut homines quasi vi facta in regnum divinum irruere debeant, id quanam de causa ita se habeat, Lucas exponit et indicat. Dum enim lex et prophetae regnant, piorum est, spe et exspectatione futura amplecti: ubi evangelium ea quae prophetae promiserant, jam facta esse et regnum divinum venisse nunciat, res praesens arripienda est. Quae autem Lucas addit: καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται, eodem sensu dicta arbitror quo verba Matthaei his respondentia: καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν i. e. non id quod fiat significant, sed quod fieri debeat. Sic etiam Bengelius, quamquam alia ratione hoc efficit. Resolve, inquit: πᾶς (βιαζόμενος) εἰς αὐτὴν διὰ τῆς βίας εἰσέρχεται, quod idem in annotationibus ad Marc. 9, 49. (ubi nostrum locum pro exemplo affert) verbis latinis in hunc modum explicat: quilibet, qui vim adhibet, vi adhibita intrat in regnum coelorum. Verum hoc quantum ad rem ipsam existimo; de ratione grammatica est quod dubitem. Vix enim usu venire Bengelius censet, ut πᾶς (omnis) masculinum absolute ponatur, quod ubi fieri videatur, determinationem subjecti ex praedicato petendam esse. Atvero non rarum hoc apud Graecos, etiam nullo nomine addito πᾶς illud masculinum ita poni, ut tamquam nomen substantivum sit et idem valeat atque ἕκαστος. Quare ea sententia, quam Bengelius vult, si in loco Luc. 16, 16. inest, non ex nomine πᾶς, sed ex verbo βιάζεται i. e. ex illo quem dicimus usu temporis praesentis in modo indicativo elicienda.

§. V. De ipso nomine πᾶς nonnihil observandum venit. Negatione hoc vel praemissa vel subjuncta per hebraismum pro οὐδείς usurpari neminem fugit; idem negatione nulla intercedente eo nonnunquam in usu est, ut fere pronominis indefiniti loco haberi possit vel propius certe ad hujus significationem accedat. Quod etsi ipsum quoque hebraismo, qualis in vocabulo כֹּל obtinet, simile sit, a consuetudine graeca nequaquam abhorret. Pronomen enim relativum ὅστις siquando indefinite ponendum et quasi latiorem in ambitum extendendum est, aut particulae οὖν, δήποτε subnectuntur aut πᾶς praemittitur. „At πᾶς tantum in singulari, ac fere in nominandi casu, πᾶς ὅστις: quicunque; in plurali autem πάντες ὅσοι, non πάντες οἵτινες, id est: quotquot.“ Viger. p. 26 s. Cujus rei illustre exemplum habes in loco

Col. 3, 17.: πᾶν ὅ,τι ἐὰν ποιῆτε ἐν λόγῳ ἢ ἐν ἔργῳ, πάντα ἐν ὀνόματι κυρίου Ἰησοῦ, ubi ex repetito: πάντα intelligitur, praemissum illud πᾶν cum pronomine relativo coaluisse [14]). Ejusdem generis est Matth. 18, 19.: περὶ παντὸς πράγματος οὗ ἐὰν αἰτήσωνται i. e. quacunque de re preces fecerint [15]). Sunt autem alia quae hebraicam indolem magis redoleant. Nam πᾶς isto modo usurpatum non solum pronomini ὅστις (vel ὃς ἄν), sed etiam participiis praemittitur, ita quidem, ut cum his junctum omisso articulo subjectum indefinitum designet, addito articulo enunciationem relativam eamque universalem efficiat. Alterum in loco Matth. 13, 19. obvium est: παντὸς ἀκούοντος τὸν λόγον — ἔρχεται — ὁ πονηρός etc. i. e. si quis audierit; alterum quamquam in novo testamento non infrequens esse duco, aliquid ambiguitatis habet in singulis locis, inde enatum, quod pleraque exempla ad usum vulgarem quodammode referri possint [16]). At unus certe locus est, in quo explicando multum interesse videtur, hac an illa ratione nomen πᾶς cum participio junctum accipias, 1 Jo. 2, 29.: γινώσκετε ὅτι πᾶς ὁ ποιῶν τὴν δικαιοσύνην ἐξ αὐτοῦ γεγέννηται. Quo loco quum Joannes apostolus lectores ad studium sanctitatis homini christiano prorsus necessarium exhortetur, scribendum fuisse putaveris: γινώσκετε ὅτι πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐξ αὐτοῦ ποιεῖ τὴν δικαιοσύνην, nec dubium est, hac ipsa sententia id contineri, de quo lectores monitos voluit. Jam quod Lückius et qui eum secuti sunt, exponunt, quanam causa permotus fuerit, ut notionem potius: γεγεννημένον εἶναι ἐκ θεοῦ primariam faceret, haud gravate amplector; sed πᾶς illud additum, si sensu vulgari et usitato interpreteris, quomodo huic sententiae conveniat, non video. Illa quidem exhortatio ad studium sanctitatis aut ea qua diximus ratione exprimi poterat: πᾶς ὁ γεγεννημένος — ποιεῖ τὴν δικαιοσύνην, aut inverso ordine: μόνος ὁ ποιῶν τὴν δικαιοσύνην ἐξ αὐτοῦ γεγέννηται. Quare Bengelius ad πᾶς nostrum adnotat: omnis et solus; alii, ut Baumgarten-Crusius et Ebrardus, taciti idem sentiunt. At hoc erat explanandum, qui fieri possit, ut πᾶς et μόνος inter se permutentur. Quodsi πᾶς ex usu trito idem est atque: omnis, nulla profecto machina eam notionem, quae vocabulo μόνος indicatur, extorquebis. Sin πᾶς ὁ ποιῶν τὴν δικαιοσύνην est: quisquis s. si quis justitiam exercet, tum vero illud: μόνος, quod verbis ipsis non expressum est, e tenore sententiarum et oratione contexta colligi vel subaudiri poterit. — Similis huic loco alter exstat Gal. 6, 12.: ὅσοι θέλουσιν εὐπρωσοπῆσαι ἐν σαρκὶ οὗτοι ἀναγκάζουσιν ὑμᾶς περιτέμνεσθαι. Horum quoque verborum quum ea sit ratio, ut ordine inverso ponenda fuisse videantur: ὅσοι ἀναγκάζουσιν ὑμᾶς περιτέμνεσθαι, οὗτοι θέλουσιν εὐπρωσοπῆσαι, eandem atque in

---

14) Simplicissima certe et facillima videtur haec explanatio; nam fieri omnino posse, ut etiam alia ratione πᾶν et πάντα in eadem sententia conjungantur, non ignarus sum.

15) Fritzschius ad h. l. „possit aliquis facile ad eam opinionem delabi, ut παντός pro οὑτινος δήποτε „„cujuscunque““ accipiat, quod recte fieri nequit;“ quare nequeat, tacet.

16) Si locum Luc. 6, 30. inspexeris, planum erit, quid velim. Quae hic leguntur: παντὶ τῷ αἰτοῦντί σε δίδου, non infitior ita intelligi posse: largire cuivis roganti te, neque ita anxius sum, ut hoc praecepto tamquam non satis circumscripto offendar; at facile mihi persuaserim, Jesum iis verbis quibus utitur, non id dictum velle, ut singuli omnes, quod a nobis petierint, consequantur, sed nos ut parati et promti ad liberalitatem simus, quisquis eam imploraverit, i. e. rogati ab aliis ut in dando aut negando discrimen personarum, sive gratae et acceptae nobis sint sive minus, ne faciamus.

superioribus interpretationem esse adhibendam censeo. Quod enim Paulus dicit: quicunque hominibus externa spectantibus sese probare volunt, ii circumcisionem vobis obtrudunt, hoc ita dictum, ut exprimere possit, eos *solos* circumcisionis necessariae praecones esse. Lingua vernacula nos: was solche Leute sind, die nöthigen euch i. e. ii soli hoc agunt, nemo alius.

§. VI. Ad reliqua, quae proposita habebam, tractanda quum otium non suppetat, ut aliquantulum certe ex his delibem, quaestionum, quae ad usum pronominum pertineant, farraginem quandam adjiciam. Ac primo quidem loco posuerim, quod satis notum et frequens est, vice pronominis personalis nomen ipsum usurpari repetitum. De quo Winerus (§. 22. 2) vere exponit, scriptores hac repetitione nominis uti vel vitandae obscuritatis causa vel ob emphasin; accuratius autem finiendum erat, quaenam pronomina personalia sint, quorum in locum nomen ipsum succedat. Nam tria omnino cogitari possunt: nomen iteratum pronominis aut definiti aut reciproci aut denique reflexivi partes sustinere. E quibus quae primo et altero loco memoravi, minime controversa sunt (cfr. praeter exempla Wineri 1 Cor. 14, 32: πνεύματα προφητῶν προφήταις ὑποτάσσεται, ib. 15, 41.: ἀστὴρ ἀστέρος διαφέρει): de tertio genere dubitandum videtur. Quae enim 2 Tim. 1, 18. dicta exstant: δώῃ αὐτῷ ὁ κύριος εὑρεῖν ἔλεος παρὰ κυρίου ea, quum verbis: δώῃ ὁ κύριος nonnisi formula optandi contineatur et in hac notio κυρίου sine ullo pondere posita sit, vix huc referenda existimo. At alii duo loci sunt, quorum interpretatio ex hac ipsa quaestione, quam nunc agitamus, pendet: Matth. 12, 26. (εἰ ὁ Σατανᾶς τὸν Σατανᾶν ἐκβάλλει) et Luc. 11, 17. (οἶκος ἐπὶ οἶκον, quod alii vertunt: domus super domum, alii: domus super se ipsam). Nolo equidem in his explorandis immorari: sed multos quum in ea re incertos esse et vacillare videam, accuratius definitum velim a grammaticis, quid de usu nominis iterati pro pronomine reflexivo existimandum sit [17]).

Deinde quod dicunt, pronomen personale in libris novi testamenti non raro sine idonea causa verbo additum esse (cfr. Buttm. §. 129, 14.), consentio, sed ipsa exempla,

---

17) Qui nomen repetitum illis in locis sensu reflexivo interpretantur, ad usum veteris testamenti provocare solent. Quamquam quae ex hoc excitantur, pleraque ad rem probandam parum aut nihil faciunt. E Graecis exemplum nominis iterati, quod pro reflexivo pronomine sit, ad manus mihi commode nullum est nisi ex Thucydide 5, 18.: ἦν δὲ Ἀθηναῖοι πείθωσι τὰς πόλεις, βουλομένας ταύτας ἑξέστω ξυμμάχους ποιεῖσθαι αὐτοὺς Ἀθηναίοις. At publico ex documento haec sunt i. e. eo ex genere scriptorum, quae suum habent stilum ad morosam quandam subtilitatem et verbositatem compositum. Fortasse tamen addi poterit, quod Krügerus (gramm. graeca §. 51. 5. 2) ex Demosthene excitat: τὴν πόλιν ἐχθρὰν τῇ πόλει πεποίηκεν. — In transitu autem de formula: εἷς τὸν ἕνα, quam pronominis reciproci instar esse grammatici volunt (Win. §. 26. 2. Buttm. §. 74. 4.), aliquid monendum videtur. Distinctione, nisi fallor, in hac formula opus est. Sunt loci, in quibus simpliciter pro illo pronomine adhibetur, velut 1 Thess. 5, 11.: οἰκοδομεῖτε εἷς τὸν ἕνα i. e. ἀλλήλους; sunt alii, in quibus rationem reciprocam ita indicat, ut vertenda sit: singuli singulos. Huc pertinere puto, quae 1 Cor. 4, 6. leguntur: εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνός, hoc sensu dicta, ut nominativus εἷς ad singulos partium quarundam sectatores, genitivus ἑνός ad eos, qui partium principes essent, referendus sit. Idem usus formulae apud Cassium Dionem 72, 19.: ἠγωνίσαντο εἷς πρὸς ἕνα i. e. pugnabant singuli cum singulis; ib. 56, 5.: ἓν πρὸς ἓν ἐξεταζόμενα, quibus oppositum est, quod his verbis exprimitur: ὁμοῦ πάντα πρὸς τοῦτο τὸ ἓν παραβαλλόμενα.

quae Buttmannus adfert, probe cavendum esse in hac re monent, ne quid temere statuatur. Nam in locis Matth. 14, 16. Marc. 6, 37. 14, 30. Rom. 2, 3. Gal. 2, 19. 2 Cor. 11, 29. tantum abest ut pronomen praeter rem adhibitum putem, ut fere necessarium mihi videatur. Alia proponi poterant, quae si non dubio exemta — id quod minime adfirmaverim — at probabiliora essent, veluti: 1 Thess. 2, 13. 3, 5. Col. 1, 9. Eph. 1, 15. Omnis autem haec disceptatio ea est, quae ad veram falsamve interpretationem plurimum faciat. Neque negligendum, si de usu novi testamenti agitur, non solum illud fieri, ut pronomen personale nonnunquam abundet, sed etiam alterum, ut omittatur ubi ponendun erat. Cfr. e. gr. 1 Cor. 4, 3. 9, 1. Ceterum quod illa de abundantia in universum diximus, de casu recto pronominis αὐτός praecipue dicendum est. Nam ut facile largior, hujus nominativi αὐτός in novo testamento usum liberiorem esse quam apud Graecos, ita incaute mihi nonnulla huc trahi videntur. Quae vero s. recto judicio interpretes in hoc genere posita volunt, eorum singularis quaedam species in illa parataxi versatur, qua saepe fit, ut forma: καὶ αὐτός in locum pronominis relativi substituta arctior sententiarum nexus quodammodo relaxetur (cfr. Win. §. 22. 2. ed. 5. p. 173).

Mitto haec ad aliam transiturus sive observationem sive quaestionem de pronomine αὐτός, quod aliquot in locis novi testamenti (casu plerumque recto positum) ita usurpatur, ut nomen ipsum adpositum anticipet. Exempla habe Marc. 6, 17.: αὐτὸς γὰρ ὁ Ἡρώδης (ipse enim, Herodem dico); Matth. 3, 4.: αὐτὸς δὲ ὁ Ἰωάννης; Luc. 3, 23.: καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς; Marc. 6, 22.: εἰσελθούσης τῆς θυγατρὸς αὐτῆς τῆς Ἡρωδιάδος. Quibus ex locis hic, quem ultimum posui, usum illum pronominis προληπτικόν prae reliquis planum facere et aliam rationem, nisi forte tentata lectione, vix admittere videtur. Quare nescio an agnoscenda et recipienda sit haec prolepsis, ut quidem minime abhorrens a consuetudine Graecorum, quibus solenne est, vel personas vel res designandas pronomine adhibito anticipare (ἦ δ' ὃς ὁ Σωκράτης; τί ποτ' ἐστὶν αὐτό, ἡ ἀρετή;).

Porro quod grammatici volunt, adjectivum ἴδιος in novo testamento simpliciter pro pronomine possessivo (vel, ut Buttm. §. 127, 23. dicit, pro possessivo eodemque reflexo) poni, non ex omni parte mihi verum esse videtur. Quam opinionem qui amplexi sunt, eos plurimis in locis ab ipsa auctoris sententia paulum aberrasse non dubito. Nam, ut Fritzschii verbis utar (ad Rom. 8, 32.): „raro ἴδιος in novo testamento pronominis possessivi substantivo sine vi postpositi potestatem habet (Tit. 2, 9. coll. v. 5. Eph. 5, 22. 1 Petr. 3, 1.), multo frequentius vi sua pronomini ante substantivum ponderose collocato respondet.“ Accedit his Winerus, qui antithesin plerumque aut manifestam aut latentem subesse moneat (§. 22. 7.). Exemplis autem ab eo prolatis unum addiderim, de quo ipse aliter sentit, locum Matth. 22, 5. Quae hic verba leguntur: ἀπῆλθον, ὃς μὲν εἰς τὸν ἴδιον ἀγρόν, ita Winerus dicta putat, ut τὸν ἴδιον nihil ponderis habeat nec nisi pronominis possessivi loco positum sit. At si reputas de iis agi, qui a rege ad sollenne convivium vocati neglecta spretaque hac invitatione sua maluerint obire negotia, mirum sane videri non potest, si cum vi ac pondere dictum legas: suos ipsorum in agros abierunt. Posthabent scilicet officium, quo regi se devinctos sentire debebant; suas et proprias res praeferunt. Neque officit huic interpre-

tationi, quod quae proxime sequuntur verba pronomen αὐτοῦ solum exhibent (ὃς δὲ εἰς τὴν ἐμπορίαν αὐτοῦ). Nam hoc liberum erat scriptori, exprimere illam antithesin aut reticere, et cavendum interpreti, ne alteram partem orationis ex altera metiatur, ubi forte in notionibus informandis aliquid variatum fuerit. Quamquam nolo equidem morosus esse et disceptare de singulis locis: satis habeo monuisse, si quando fiat in libris novi testamenti, ut ἴδιος sine pondere et vi pro pronomine possessivo usurpetur, rarioris id exempli esse nec promiscue fieri, sed in iis plerumque designandis, qui singulari quadam et stabili necessitudine conjuncti inter se vel alicui addicti sint, praecipue igitur in iis, qui sive necessarii sive servi ad familiam aliquam pertineant: ἴδιοι ἄνδρες, ἴδιαι γυναῖκες, ἴδιοι δοῦλοι al.

Quod reliquum est, universum hoc caput de pronominibus Buttmanni cura diligentissima tam subtiliter tractatum video, ut nisi quis parva et minuta colligere velit, fere nihil habeat, quod superaddat. Quum singula persequi nequeam, unum saltim specimen non praetermittendum duco. Formae αὐτόν et αὐτόν in editionibus novi testamenti quam saepe confundantur et quam incertum de hoc discrimine judicium hucusque interpretum fuerit, neminem puto esse qui nesciat. Ad codices quidem provocare, ubi in vocabulo aliquo quaeritur, spiritus asper an lenis adhibendus sit, hoc est nihil dicere. Aliunde igitur i. e. ex internis argumentis haec quaestio decernenda. Qua ratione quum probatum haberetur, scriptores novi testamenti etiam praeter orationem obliquam pronomine αὐτός frequenter uti pro reflexivo, singulis quibusque locis quid statuendum esset, in arbitrio vel sensu ac judicio editoris positum erat. Sic vero non poterat non emergere illa lectionis varietas et inconstantia, cui locum nunc ultra non fore speramus. Quae enim lis agitabatur, ea tandem profligata et pro certo tenendum videtur, quod Buttmannus (§. 127. 14.) satis, puto, adposite ad persuasionem exposuit, pronominis reflexivi in tertia persona pariter atque in secunda formam breviorem ab usu novi testamenti prorsus alienam esse.

Sed haec hactenus. Opportunitas, quam nacti nunc sumus, jubet, ut de die natali Regis Augustissimi piis votis et grata mente celebrando moneamus. Nam ut omnium vel ordinum vel civium, ita maxime scholarum est, summa Regis in suos merita agnoscere, probatissimum rerum nostrarum moderatorem venerari et numini divino pro salute ejus diuturna supplicare. Pronunciamus igitur, quod omnium in animis reconditum est, votum hoc facientes ardentissimum, ut Deus O. M. Regem nostrum, delicias et praesidium patriae, ad summam senectutem perducat, incolumem servet, beneficiis ornet, augeat, sospitet.

GESCHICHTLICHE NOTIZEN ÜBER KLOSTER UND SEMINAR SCHÖNTHAL.

Das frühere Kloster Schönthal, eine reichsunmittelbare Cistercienser-Abtei, durch den Reichsdeputations-Hauptschluss vom Jahr 1803 secularisirt und der Krone Württemberg zugefallen, war Stiftung des edeln Wolfram von Bebenburg, der durch die Kreuzpredigten des heil. Bernhard angeregt das doppelte Gelübde gethan hatte, gegen die Unglaubigen zu kämpfen und ein Cistercienserkloster zu gründen. Er schloß sich demgemäß dem Kreuzzuge Kaisers Konrad III. an und stiftete sofort nach seiner Rückkehr aus Palästina im Jahr 1157 das Kloster Schönthal, welches im gleichen Jahre die kaiserliche Bestätigung durch Friedrich Barbarossa, später im Jahr 1176 auch die päbstliche durch Alexander III. erhielt. Eine Anzahl von Mönchen, die aus dem etwa zwanzig Jahre früher gegründeten Maulbronn übersiedelten, bildete den Stamm der Bevölkerung des neuen Klosters. Die Geschichte dieses letztern ist eine ziemlich einfache und bietet nicht eben viel Merkwürdiges dar. Was die Chroniken aus älterer Zeit beibringen, beschränkt sich größtentheils auf ökonomische Dinge: Erwerbungen, Kaufbriefe, Schenkungen u. dgl. Für die bedeutendste Thatsache mag gelten, daß das Kloster die Kirchenversammlung von Konstanz in der Person seines Abtes beschickte. Auf dem nächstfolgenden Basler Conzil fand es sich dadurch begünstigt, daß dem Abte die Auszeichnung der Pontifical-Insignien zuerkannt wurde. — Zur Zeit der Reformation traten schwere Bedrängnisse ein in Folge des Bauernkrieges, dessen verheerende Wirkung das Kloster auf's empfindlichste traf. Noch größer freilich und anhaltender waren die Drangsale, welche der dreißigjährige Krieg brachte. Als die schwedische Waffenmacht diese Gegenden beherrschte, geschah es sogar, daß Schönthal auf etwa drei Jahre in evangelische Hände kam. Kraft von Hohenlohe war der Besitzer: eine Gräfin aus seinem Hause hatte als Aebtissin ihren Sitz in dem Kloster und ein Prediger von Tübingen, Namens Müller, wurde berufen, um den Gottesdienst nach evangelischer Weise zu ordnen. Nachdem die Nördlinger Schlacht diesem Zwischenreich ein Ende gemacht hatte, so blühte Schönthal, obwohl von dem weitern Verlaufe, sowie auch von den Nachwirkungen des gräßlichen Krieges noch vielfach betroffen, doch allmählig wieder zu solchem Wohlstande auf, daß unter dem thatkräftigen Abte Benedictus im Jahr 1683—1732 (theilweise unter seinem Nachfolger Angelus 1734—61) neben andern bedeutenden Bauten das stattliche neue Abtei- und Conventgebäude und die große, in ihrer Art prächtige neue Klosterkirche konnten aufgerichtet werden. Nach den genannten Aebten waren es deren nur noch zwei: Augustinus 1761—84 und Maurus bis 1803. Beide hatten das gleiche Schicksal, daß sie wegen ihrer Strenge den Mönchen ver-

feindet sich durch die Flucht retten mußten; beide wurden mit kaiserlicher Hilfe restituirt, und beide beschloßen ihre Tage in dem benachbarten Aschhausen: Augustinus als resignirter Abt (1795), Maurus als letzter, der den Bestand des Klosters überleben sollte.

Im Jahr 1810 fanden die Räumlichkeiten dieser Anstalt ihre Verwendung für ein evangelisches Seminar, und das neuerworbene Schönthal trat hiemit in die Reihe der Alt-Württembergischen Klosterschulen, über deren Entstehung und Geschichte das vorjährige Programm von Maulbronn genauern Bericht gibt. Die Zahl dieser Klosterschulen, ursprünglich dreizehn, hatte sich frühe vermindert: seit den ersten Decennien des vorigen Jahrhunderts und bis in den Anfang des gegenwärtigen bestanden deren vier: zwei niedere in Blaubeuren und Denkendorf, zwei höhere in Bebenhausen und Maulbronn. Im Jahr 1807 wurde die zu Bebenhausen aufgehoben und mit Maulbronn vereinigt; die gleichfalls beschlossene Aufhebung der Klosterschule von Blaubeuren und ihre Vereinigung mit der von Denkendorf blieb vorerst noch ausgesetzt, bis sie unter dem 31. October 1810, also gerade vor fünfzig Jahren, beide zusammen nach Schönthal verlegt wurden. Als niederes Seminar hatte das hiesige die Zöglinge vom 14ten bis 16ten Jahre, immer zwei Jahrgänge (Promotionen) bei einander; jeden Herbst trat eine Promotion ein und gieng dagegen von den hier befindlichen die ältere nach Maulbronn ab. Mit dem Jahr 1817 aber erfolgte eine neue Organisation, bei welcher der Unterschied des höhern und niedern Vorbereitungs-Seminars wegfiel und die Zahl dieser Anstalten wieder auf vier vermehrt wurde durch die Restitution der alten Klosterschule zu Blaubeuren und durch Gründung des im folgenden Jahre eröffneten Seminars zu Urach. Seither empfängt abwechselnd von Jahr zu Jahr je eine dieser Schulen die Zöglinge, welche durch das sogenannte Landexamen zur Aufnahme gelangen, und gibt sie nach einem vierjährigen Vorbereitungskurse an die Universität, beziehungsweise an das Seminar zu Tübingen (welches jetzt das einzige höhere ist) ab, um sofort eine neue Promotion aufzunehmen.

Da dem Gesagten zufolge die gleichartige Anstalt von Denkendorf in der hiesigen aufgegangen ist, so mag es am Orte sein, auch von ihr im Besondern ein Wort zu sagen. Das um's Jahr 1124 gegründete Augustiner-Chorherrnstift zu Denkendorf war gleich Anfangs mit den übrigen Klöstern des württembergischen Landes in eine evangelische Klosterschule umgewandelt worden, ja in gewisser Art den übrigen vorangegangen (s. Pregizer, Suevia sacra p. 346; Römer, kirchliche Geschichte Württembergs S. 218); aber es bestand diese vorerst nur bis zur Jahre 1584, wo sie zugleich mit denen von Anhausen und Lorch aufgehoben wurde. Ihre Herstellung erfolgte unter Herzog Eberhard Ludwig im Jahr 1713 zum Ersatz der Klosterschule in dem altberühmten Benedictinerstifte Hirsau, welche mit der Einäscherung des Ortes durch die Franzosen im Jahr 1692 sich aufgelöst hatte. Unter den zwei ersten Professoren (oder, wie sie damals und bis zum Jahr 1752 hießen, Klosterpräceptoren) der erneuerten Anstalt finden wir den großen Joh. Albr. Bengel, der von 1713 bis zum Jahre 1741 diese Stelle bekleidete; unter den Pröbsten, welchen die Oberleitung zukam, mag als der bedeutendste der Geistesverwandte Bengels, Prälat Philipp Heinrich Weissensee (1740—1767) genannt werden, der das hohe Alter von 94 Jahren erreichte und bis an seinen Tod im Amte blieb.

Das im Jahr 1810 zu Schönthal errichtete Seminar erhielt seinen ursprünglichen Personalbestand aus den zwei Klosterschulen, die es in sich aufnehmen sollte. Erster Vorstand war der bisherige Probst von Denkendorf, Prälat Imm. von Pfleiderer, dem bei seiner Versetzung hieher zugleich die damalige Generalsuperintendenz Oehringen übertragen wurde. Mit ihm kamen von Denkendorf die Professoren M. Joh. Ge. Hutten und M. Carl Friedr. Hauber, von Blaubeuren dagegen die zwei andern: M. Christian Dav. Alex. Heermann und M. Benjamin Gottlob Fischer. Prälat Pfleiderer starb schon im nächstfolgenden Jahre und hatte in seinem Doppelamte zum Nachfolger den Prälaten Jac. Friedr. von Abel, bis dahin ordentlichen Professor in der philosophischen Facultät zu Tübingen, früher an der h. Carlsacademie zu Stuttgart. Dieser blieb auf hiesiger Stelle bis zum Jahr 1823, wo er sie mit der Generalsuperintendenz Reutlingen vertauschte. Inzwischen war Einleitung getroffen worden, statt der bisherigen Prälaten künftighin Ephoren (ohne kirchliche Amtsstellung) zu Vorstehern der Seminarien zu verordnen. Der erste unter diesen war in Schönthal: M. Christian Gottlieb Wunderlich (bis dahin Professor in Maulbronn) von 1824—1843. Auf ihn folgte Dr. der Theologie Carl Ludwig von Roth, bisheriger Rector des Gymnasiums in Nürnberg, hier eingetreten im Jahr 1843, sodann im Jahr 1850 zum Rectorate des Stuttgarter Gymnasiums und zugleich in den Königl. Studienrath berufen, im Jahr 1858 mit dem Character eines Prälaten in den Ruhestand versetzt, seit diesem in rühmlichster academischer Thätigkeit auf der Universität Tübingen. Der jetzige Ephorus ist Eduard Elwert, Dr. der Theologie, zunächst vor seiner Ernennung Pfarrer in Mötzingen bei Herrenberg, früher einige Zeit ordentlicher Professor der Theologie auf den Universitäten Zürich und Tübingen.

Unter den Professoren zu Schönthal ergab sich die erste Veränderung im Jahr 1818 dadurch, daß Professor Hutten zum Ephorus des neuerrichteten Seminars in Urach ernannt wurde. In den übrigen Seminarien kam um diese Zeit das sehr zweckmäßige Institut der Repetenten auf; hier konnte es erst im Jahr 1821 eingeführt werden, als einer der noch übrigen drei Professoren, Fischer, seine Stelle verließ und in die Pfarrei Plieningen bei Stuttgart übertrat. Von da an war das Lehrer- und Aufseher-Personal das gleiche wie anderwärts: neben dem Vorstand zwei Professoren und zwei Repetenten. Abgesehen von einem der beiden letztern erneuerte sich dasselbe vollständig im Jahr 1824, da nach dem kurz zuvor erfolgten Abgang des Prälaten von Abel Professor Hauber zum Ephorus in Maulbronn (daselbst in den Ruhestand versetzt mit dem Character eines Prälaten im Jahr 1845) und Heermann zum Decan in Schorndorf ernannt wurde (später im Jahr 1841 zum Prälaten und Generalsuperintendenten von Ludwigsburg), und, wie vorhin bemerkt, Wunderlich als erster Ephorus hieher kam. Die neuen Professoren waren: M. Gottlob Christian Kern (1824—29, gest. als Pfarrer in Dürrmenz-Mühlacker im Jahr 1835) und M. Gottfr. Aug. Hauff (1824 bis 40, seither Stadtpfarrer in Waldenbuch). Als ersterer ausschied, trat M. Ernst Wilhelm Klaiber für ihn ein (1829—41, auf hiesiger Stelle gestorben), nach Professor Hauff's Abgang Dr. der Theologie Gustav Friedrich Oehler (1840—45, als ordentlicher Professor der Theologie und Consistorialrath nach Breslau berufen, neuerdings ordentlicher Professor der Theologie zu Tübingen und Ephorus des höhern evangelisch-theologischen Seminars da-

selbst); die jetzigen Professoren sind Dr. Eduard Eyth, früher Oberpräceptor in Kirchheim, seit 1841, und Carl Ludwig Friedrich Mezger, vorher Professor am Gymnasium in Stuttgart, seit 1845.

Bis zum Jahr 1846 hatten die Professoren und Repetenten des Seminars zugleich die kirchlichen Functionen an der evangelischen Ortsgemeinde ausschließlich zu besorgen, und einer der ersteren war mit dem Pfarramte betraut. Seit der Gründung einer ständigen Pfarrverweserei in gedachtem Jahre sind die Parochialgeschäfte dem Pfarrverweser, als Ortsgeistlichen, zugefallen; die sonntäglichen Predigten aber theilen sich zwischen ihm und den vorgenannten Lehrern in der Weise, daß je alle 14 Tage einer der letzteren eintritt, was übrigens freie Uebereinkunft von ihrer Seite ist.

Ueber die Einrichtung des hiesigen Seminars bleibt nach den ausführlichen Angaben im vorjährigen Programme von Maulbronn nichts Wesentliches zu sagen übrig: sie ist die gleiche wie in den andern Seminarien. Was Schönthal von diesen unterscheidet, das sind die durch schöne Gegend und geräumiges Local nicht aufgewogenen Nachtheile seiner örtlichen Lage, bei der es an Subsidien aller Art im Vergleich zu den Schwester-Anstalten so viel ärmer ist und insbesondere den Mangel an Erleichterungen des Verkehrs zu beklagen hat.

NACHRICHTEN ÜBER DEN VIERJÄHRIGEN KURS $18^{56}/_{60}$.

Die Veränderung im Lehrerpersonal beschränkt sich auf einen Wechsel der Repetenten. Bei'm Beginne des Kurses waren als solche angestellt: Carl Benjamin Kraut und Dr. Ernst Gundert. Ersterer schied zu Ostern 1857 aus, um eine Professorsstelle am Gymnasium in Frauenfeld anzutreten, und wurde durch den Lehr- und Predigtamts-Candidaten Ernst Hory ersetzt; letzterer kam im Februar 1858 als Repetent an das höhere Seminar zu Tübingen und hatte den Candidaten Dr. Ernst Wagner zum Nachfolger.

Die im Herbste 1856 aufgenommenen Zöglinge waren: 25 Seminaristen, 11 Seminar- und 3 Privat-Hospites, nebst einem Auscultanten. Einer der Seminaristen trat mit dem Schlusse des dritten Jahres aus, um sich dem Studium der Forstwissenschaft zu widmen. Er blieb vorerst noch ein Semester als Hospes und bestand im vorigen Frühjahr die Maturitätsprüfung mit gutem Erfolge. Für ihn wurde einer der Hospites unter die Seminaristen aufgenommen, sowie auch der Abgang eines Privathospes durch Nachaufnahme eines andern, der später in die Klasse der Seminarhospites einrückte, seinen Ersatz fand. Als Auscultanten traten im Laufe des Kurses noch mehrere Jünglinge von hier und aus der Nachbarschaft auf kürzere oder längere Zeit ein.

Die Zahl der Zöglinge ist bei'm Abgang so ziemlich die gleiche wie anfänglich: 25 Seminaristen, 11 Seminar- und 2 Privathospites.

Sie alle werden in diesem Spätjahre die Concursprüfung zur Aufnahme in das höhere Seminar zu Tübingen und behufs der Ermächtigung zum Studium der Theologie auf der Universität, beziehungsweise (2 Hospites) die Maturitätsprüfung für ein anderes Studienfach erstehen.

Der Gang des Unterrichts in dem vierjährigen Kurse möge aus nachstehender Uebersicht erhellen.

A. Sprachunterricht.

I. Latein.

1. Exposition: 6 Stunden wöchentlich (für den Prosaiker 4, für den Dichter 2 Stunden).

a) prosaische Lectüre: Sallust. Jugurtha; Livius: Praefatio, L. XXI—XXIII. XXX, 20—43 (bis zum Schlusse des Hannibal'schen Krieges); Sallust. Catilina; Cicero's Catilinarische Reden, pro Archia, pro Sulla, ausgewählte Briefe; Tacitus Annales I. II. und ein Theil des dritten Buches, nebst Agricola; Professor Mezger.

Je alle 14 Tage eine lateinische Periode zu schriftlicher Uebersetzung. Repetenten Kraut, Hory, Wagner, dann Professor Mezger.

b) poetische: Ovid. Metamorph. im Auszuge von Feldbausch. Repetent Kraut, Professor Eyth, Repetent Hory. Virgil. Aeneis l. I—III. Repetent Hory. Georgica l. I—IV. Ecl. I. und Uebersicht einiger andern. Horat. Oden, Satiren und Episteln in Auswahl. Professor Eyth.

2. Composition. 2 Stunden wöchentlich; Hebdomadar alle 8 Tage. Professor Mezger. Nägelsbach Uebungen des lateinischen Stils. Repetenten Kraut, Hory, später Professor Mezger. In der zweiten Hälfte des Kurses je ein lateinischer Aufsatz im Semester. Professor Mezger.

II. Griechisch.

1. Exposition. 5 Stunden wöchentlich. Professor Eyth. (Mit prosaischer und poetischer Lectüre wird im gleichen Semester abgewechselt): Homers Odyssee ganz, Ilias Rhaps. I—V., Sophocles Ajas und Antigone, Xenophons Memorabilien, Herodot. I. und II.; Plutarch. Caesar; Demosthenes Ol. I—III., de pace, Phil. I. und II., Platon. Apol., Criton, Phaedon. Professor Eyth.

2. Composition. 1 Stunde wöchentlich; alle 14 Tage Hebdomadar. Professor Eyth.

III. Hebräisch.

1. Exposition. 3 Stunden wöchentlich. Professor Mezger. Elementarunterricht Abtheilungsweise unter Mitwirkung des Repetenten Kraut nach dem Mezger'schen Uebungsbuch. Josua c. 1—10. Richter 1 und 2. Sam. Psalmi 1—41. Jeremia.

2. Composition. 1 Stunde wöchentlich. Professor Mezger. Alle 14 Tage Hebdomadar.

IV. Französisch. Im ersten Halbjahr alle 14 Tage Uebungen mit denen, welche schon einen Grund in der Sprache gelegt hatten. Repetent Kraut. Von da an regelmäßiger Unterricht 2 Stunden wöchentlich. Repetent Hory. Exposition und Composition sind nicht streng geschieden. Zuerst Durcharbeitung der Knebel'schen Grammatik und des Uebungsbuches von Höchsten. Sofort Lectüre der Gruner-Wildermuth'schen Chrestomathie, vorzugsweise der historischen und naturgeschichtlichen Stücke. Die Exposition ist fortwährend mit Sprachübungen verbunden; für die Composition werden im weitern Fortgang die deutschen Musterstücke von Wildermuth benützt.

V. Deutsch. 1 Stunde wöchentlich. Zuerst Lectüre der Märklin'schen Anthologie. Repetent Kraut, Repetent Hory. Nibelungen im Mönnichschen Auszuge; Uebersicht der Gudrunlieder; Proben des Kunstepos und des Minnegesangs, poetische und prosaische Stücke aus der Literaturperiode vom zwölften Jahrhundert bis zur Reformation nach dem Wackernagelschen Lesebuch; kurze Uebersicht der Haupterscheinungen bis auf die Gegenwart. Repetent Hory.

Mit diesem Unterrichte sind deutsche Aufsätze verbunden, deren in jedem Semester regelmäßig drei größere und zwei kleinere ausgearbeitet und von dem Lehrer theils mit den Einzelnen durchgesprochen, theils öffentlich in der Lection censiert werden.

Privatim ertheilte Repetent Wagner in den letzten Semestern Unterricht in der englischen Sprache, woran die Mehrzal der Zöglinge sich betheiligte.

B. Wissenschaftlicher Unterricht.

I. Religion.

1. Religionslehre. 2 Stunden wöchentlich. Ephorus Elwert: Alttestamentliche Religionsgeschichte mit Rücksicht auf Bibelkunde, Einleitung in die Schriften des alten Testamentes und biblische Alterthümer; (erste Hälfte des Kurses; von da an:) neutestamentliche Religionsgeschichte mit Aufnahme des Wesentlichsten aus der Isagogik; Uebersicht der ältern Kirchengeschichte; christliche Glaubens- und Sittenlehre.

2. Lesen des neuen Testaments im Grundtexte: Marcus, Matthäus und Lucas, Apostelgeschichte, Brief an die Philipper, 1 Petri, 1—3. Johannis, Jacobi, Pastoralbriefe, 1 und 2 Thessalonicher, Colosser, Galater, 1 Corinther. — 3 Stunden wöchentlich. Ephorus Elwert.

II. Geschichte. 2 Stunden wöchentlich. Professor Eyth. Nach dem Dittmar'schen Lehrbuche. Im letzten Jahre hauptsächlich Recapitulation mit der Tendenz zur Geschichtsphilosophie.

III. Geographie (und Physik). 1 Stunde wöchentlich (mit zwei Abtheilungen), später 2 Stunden. Repetent Gundert, dann Repetent Wagner. Im freien Anschluß an das Lehrbuch von Reuschle. Chartographische Anschauung. Geographische Grundbegriffe. Specialgeographie der Erdtheile in orohydrographischer, ethnographischer und politischer Beziehung. Mathematische Geographie. Physische und Physik.

IV. Arithmetik. Abwechselnd mit der Geometrie 1 und 2 Stunden wöchentlich. Repetent Gundert, dann Repetent Wagner. Bruch- und Schlußrechnung; Potenzen- und Wurzellehre, Zahlsysteme, Gleichungen ersten Grades, Proportionen; Gleichungen zweiten Grades mit einer und mehreren Unbekannten; Aufgaben aus den Sammlungen von Heiß und Meier-Hirsch; Logarithmen (mit Benützung der Wittstein'schen Tafeln); arithmetische und geometrische Progressionen, Zinses-Zins- und Renten-Rechnung, Kettenbrüche und unbestimmte Gleichungen. Mit Selecta: binomischer Lehrsatz.

V. Geometrie. Abwechselnd mit der Arithmetik 1 und 2 Stunden wöchentlich. Repetent Gundert, dann Repetent Wagner. Mit den Zöglingen insgesammt wird das Nagel'sche Lehrbuch der Geometrie durchgearbeitet und zum größern Theile repetiert: mit Selecta: Stereometrie und Trigonometrie. Einzelne üben sich im geometrischen Zeichnen. — Bei'm geometrischen wie bei'm arithmetischen Unterrichte sind die Schüler fortwährend mit Aufgaben beschäftigt. In beiden Fächern werden Nachhilfe-Stunden nach Bedürfniß gegeben.

VI. Logik in den zwei letzten Semestern, im ersten 1 Stunde, im zweiten 2 Stunden wöchentlich, nach dem Hoffmann'schen Lehrbuche, mit psychologischer Einleitung. Repetent Hory.

C. Fertigkeiten.

I. Declamation. 1 Stunde wöchentlich. Professor Eyth, dann Repetent Hory.

II. Tonkunst. Der Unterricht im Gesange und in der Instrumentalmusik (Klavier, Violine, Viola, Violoncello, Contrebaß, Flöte, Clarinette, Horn) wurde von dem Seminar-Musiklehrer, zugleich evangelischen Schullehrer, Wurst ertheilt. (Einstimmiger Choralgesang; mehrmalige Durcharbeitung des Choralbuchs; vierstimmiger Gesang von Turnliedern und Männerchören. Bei'm Orchester: Uebungsstücke, Potpourris und Ouvertüren; Violinquartette. In einem der letzten Semester mit freiwilligen Theilnehmern: Harmonielehre bis zum reinen vierstimmigen Satz.)

III. Turnübungen. Winters täglich 1/2 Stunde, Sommers 2 Stunden wöchentlich, unter Leitung der Repetenten Kraut, Gundert, Wagner.